DE FLORO HISTORICO
ELOCUTIONIS TACITEAE IMITATORE.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSPHORUM ORDINIS

in

ALMA LITERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

ad

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XX MENSIS APRILIS MDCCCLXXXII

IN PUBLICO DEFENDET

SCRIPTOR

ALFONSUS EGEN,

RHENANUS.

MONASTERII

EX TYPOGRAPHIA KRICKIANA.

MDCCCLXXXII.

In Philologi tomo XXIX pag. 557 Woelfflinus de elocutionis Taciteae imitatoribus disserens Florum et Ammianum laudat; tum pergit: ‚Der Versuch, die stilistischen Nachahmungen und Licenzen bloss zu legen, bietet neben dem sprachlichkritischen Interesse auch den Vorteil, unsere geringe Kunde über das Ansehn des Tacitus im 2—4 Jahrh. n. Chr. zu bereichern.‘ Quod cum legissem, quia per aliquod tempus Flori libris pertractandis operam dederam, haud alienum a studiis meis putavi fore, si omnia ea, quae Floro cum Tacito communia intercederent, eruerem atque colligerem. Huius enim operae duplicem fructum fore Woelfflinus promisit, cum et quid de Taciti notitia apud aequales iudicandum esset, Flori exemplo illustraretur, et ea quae Florianae elocutionis maxime propria essent, exceptis iis, paucissimis quidem, quae in arte critica facienda viri docti commentationibus suis inseruerunt, nondum satis investigata et tamquam in unum redacta, cum dictionis Taciteae comparatione in lucem proferrentur. Et ecce ‚ultro ipsis viam pandentibus fatis‘, cum iam essem dissertatione conscribenda occupatus, in manus meas venit commentatio ‚de Flori rerum scriptoris elocutione pars prior‘, quam edidit Thoméus Frankensteinii 1881. Qua commentatione vir ille doctus de partibus orationis et de enuntiato simplici agit, res ad rhetoricam pertinentes alii tempori reservans. Atque cum hoc opusculum ut par fuit in usum meum convertens nonnullas res aut minus recte explicatas aut omnino omissas esse intellexissem, hanc occasionem non praetermisi, quin ea corrigerem vel adderem.

Quamquam de Flori origine, nomine, vita nihil certi constat, tamen ex operis praefatione §. 8 ‚a Caesare Augusto in

saeculum nostrum haut multo minus anni ducenti, quibus inertia Caesarum quasi consenuit adque decoxit (scl. populus Romanus), nisi quod sub Traniano principe movit lacertos et praeter spem omnium senectus imperii quasi reddita iuventute reviruit' concludendum est, Florum epitomen suam conscripsisse sub imperatore Hadriano, quo tempore Tacitus libros suos iam in publicum emiserat. Hos a Floro tam diligenter lectos esse, ut eius elocutio a Tacitea pendeat, hac commentatione demonstraturus sum. Neque vero tantum in rebus ad elocutionem pertinentibus similitudo inter Tacitum et Florum videtur intercedere, sed Florum etiam in hominibus rebusque iudicandis nonnulla Tacito debere ad summam probabilitatem perduci potest. Sic an. I, 9 de regno ab Augusto suscepto legitur: ,non aliud discordantis patriae remedium fuisse, quam ut ab uno regeretur' et an. I, 12 de imperio a Tiberio suscipiendo ,unum esse rei publicae corpus (cfr. h. I, 16) atque unius animo regendum.' Ad haec optime conveniunt, quae Florus IV, 3, 5 [1]) de Augusto dicit: ,gratulandum tamen ut in tanta perturbatione est, quod potissimum ad Octavium Caesarem Augustum summa rerum rediit, qui sapientia sua adque sollertia perculsum undique ac perturbatum ordinavit imperii corpus, quod haut dubie numquam coire et consentire potuisset, nisi unius praesidis nutu quasi anima et mente regeretur'. — an. III, 27. Tacitus Gracchos, Saturninum, Drusum nullo discrimine inter eos facto ut nefarios scelestosque homines condemnat: ,hinc Gracchi et Saturnini turbatores plebis, nec minor largitor nomine senatus Drusus; corrupti spe aut inlusi per intercessionem socii'. Prorsus eandem horum virorum imaginem Florus III, 12, 8. 13.—18. depingit, de tumultibus, terroribus, ludibriis, caedibus eorum loquens. — an. III, 76. Tacitus pompam in funere Juniae C. Cassii uxoris, M. Bruti sororis narrans Brutum et Cassium

1) Verba secundum editionem Halmianam Lips. 1871. attuli, et quidem vulgarem cousuetudinem retinens eos numeros secutus sum, quos Halmius uncis inclusit. De nonnullis locis, quibus ab Halmio dissentio, infra disseram.

paucissimis verbis eximia laude cumulat: ‚sed praefulgebant Cassius et Brutus eo ipso quod effigies eorum non visebantur.' Simillime comparatus est locus, quem Florus IV, 2, 89. in narratione triumphi a Caesare acti exhibet: ‚Pharsalia et Thapsos et Munda nusquam; et quanto maiora erant, de quibus non triumphabat!' — Neque minus uterque scriptor Romanorum vitia silet: an. IV, 72. ‚Eodem anno Frisii, transrhenanus populus, pacem exuere, nostra magis avaritia quam obsequii impatientes' quo cum loco egregie comparari possunt, quae Florus IV, 12, 22 dicit: ‚et factum erat, si barbari tam vitia nostra quam imperia ferre potuissent.' — Porro Florus ad caput h. II, 38, quo Tacitus ad bella civilia strictim enarranda deflectit, non uno loco respexit. cfr. Tac. l. c. ‚Vetus ac iam pridem insita mortalibus potentiae cupido cum imperii magnitudine adolevit erupitque.' Flor. II, 19, 2. ‚crescentibus cum ipsa magnitudine imperii vitiis.' Tac. l. c. ‚et in urbe media ac foro temptamenta civilium bellorum'; Flor. III, 21, 1. ‚et in urbe media ac foro cives cum civibus gladiatorio more concurrerent.' III, 19, 2. ‚primum servile bellum . . . . in ipsa urbe temptatum est'. Tac. l. c. de Pompeio et Caesare: ‚et numquam postea nisi de principatu quaesitum'. Flor. IV, 2, 14. ‚sic de principatu laborabant, tanquam duos tanti imperii fortuna non caperet'. — h. II, 92 Tac. dicit: ‚nec unquam satis fida potentia, ubi nimia est.' De hoc loco Flor. IV, 2, 8 videtur cogitasse'. ‚causa tantae calamitatis eadem quae omnium, nimia felicitas.' — h. IV, 38. ‚ne victoribus quidem ingrato rumore, quorum cupiditates externis quoque bellis inexplebiles nulla umquam civilis victoria satiavit'. Quem ad locum Flor. III, 23, 8 respexit: ‚victores quoque, quod non temere alias in civilibus bellis, partis contenti fuerunt.' — Neque tantum quod pertinet ad haec, quae laudavi, exempla Taciti vestigia in Floro manifesta sunt, sed etiam multa alia e Taciti libris in Florum huius rei quasi inscium influxisse probabile est. Quos locos in brevi quodam conspectu ponere haut inutile erit.

Tacitus.	Florus.
dial. 28. ,ut sincera et integra et nullis pravitatibus detorta unius cuiusque natura' etc.	III, 12, 2. ,dum sincera adhuc et innoxia pastoriae illius sectae integritas'.
dial. 41. ,compositae civitatis argumentum.' Cfr. an. IV, 1.	III, 23, 3. ,compositae civitatis statum'.
Agr. 10. ,incognitas ad id tempus insulas.'	I, 18, 6. ,incognitisque in id tempus elephantis.'
Agr. 20. ,multus in agmine'. Sall Jug. 96, 3.	IV, 2, 50. ,multus in eo proelio Caesar fuit.'
Agr. 28. ,magnum ac memorabile facinus ausa est'. cfr. h. III, 23.	III, 14, 3. ,rem ausus ingentem est.'
Agr. 35. ,ingens victoriae decus.'	III, 10, 20. ,maximum victoriae decus.'
Germ. 36. ,tracti ruina Cheruscorum et Fosi.'	III, 5, 21. ,totum paene orientem ac septentrionem ruina sua involvit.' II, 13, 1. ,Macedonici belli contagio traxit Illyrios'. I, 18, 1. II, 11, 1. 12, 1. IV, 2, 51.
h. I, 50. ,solusque omnium ante se principum.'	III, 5, 22. ,omnium ante se primus.'
h. I, 51. ,ingenio loci caelique' cfr. II, 4, 71. V, 14. an. III, 26. IV. 41, XVI, 20. Sall.	II, 6, 16. ,observato loci ingenio.'
h. II, 8. ,variis artibus adgressus est.'	III, 1, 10. ,suis artibus adgressus est.'
h. II, 14. ,deletae omnes copiae forent, ni' etc.	IV, 10, 6. ,deletae reliquae copiae forent, nisi' etc.
h. II, 47. ,experti invicem sumus.'	IV, 10, 1. ,Expertis invicem Parthis atque Romanis.'
h. II, 84. ,indulgentia fortunae' cfr. II, 99.	II, 14, 5. ,hoc quoque ille in malis suis indulgente fortuna.'
h. II, 100. ,ut ingruenti bello occurreretur'.	IV, 11, 4 ,ut venienti bello occurreret.'
h. III, 5. ,fortuna partium alibi transacta'.	IV, 7, 13. ,transactum de partibus ratus.'
h. III, 27. ,tum elatis super capita scutis densa testudine succedunt.'	III, 10, 13. ,elatis super caput scutis cum se testudine barbarus tegeret.'
h. III, 60. ,pulcherrimam Campaniae oram.'	I, 16, 3. ,pulcherrima Campaniae plaga.'
h. III, 69. (cfr. Her.) ,arcem Capitolii insedit'.	III, 21, 7. ,arcemque Capitolii . . . . victor insedit' cfr. I, 13, 13.
h. IV, 59. ,Voculam de supremis agitantem'	IV, 2, 83. ,dicitur et de extremis agitasse'.

h. IV, 64. ‚redisse vos in corpus.'	I, 3, 9. ‚sed in suum corpus redisse rursus videretur.'
h. V, 9. ‚regium nomen invaserat.'	II, 14, 3. ‚regium nomen, animum quoque regis implevit'.
an. I, 7. ‚habere imperium quam exspectare mallet.'	I, 7, 2. ‚regnum avitum rapere maluit quam exspectare'.
an. I, 10. ‚extortum invito senatu consulatum.'	I, 26, 4. ‚honorum et magistratuum consortium quamvis invito senatui extorsit.'
an. II, 52. ‚ut Tacfarinas .... terrorem circumferret' an. I, 56. ‚huc illuc ferens arma.' XIII, 37. ‚circumferre bellum coactus.'	praef. §. 2. III, 12, 1. ‚arma circumtulit.' II, 2, 21. ‚cum terrorem nominis sui late circumtulisset.'
an. III, 61. ‚Primi omnium Ephesii.'	II, 7, 2. ‚primi omnium Macedones'.
an. IV, 19. ‚victoria per avaritiam foedata.'	I, 3, 5. ‚unius manu parta victoria est, quam ille mox parricidio foedavit'.
an. IV, 25. ‚requiem belli fore.'	II, 6, 1. ‚Post primum Punicum bellum vix quadriennii requies.'
an. IV, 40. ‚erumpere aemulationem' cfr. V, 11.	IV, 2, 13. ‚statim aemulatio erupit.'
an. IV, 46. ‚castella rupibus indita.'	III, 1, 14. ‚saxeo monti urbs indita'
an. IV, 49 ‚aliis .... mutuos inter se ictus parantibus.'	IV, 2, 33. ‚mutuis ictibus inter se concurrunt.'
an. VI, 41. ‚ceteros siti ad deditionem coegit.'	IV, 2, 28. ‚siti ad deditionem compulit.'
an. XI, 7. ‚exercendo agros'. XIII, 54. ‚ut patrium solum exercebant.'	IV, 12, 60. ‚exerceri solum iussit.'
an. XI, 24. ‚continua inde ac fida pax.'	IV, 12, 64. ‚sic ubique una atque continua totius generis humani pax fuit aut pactio.' 1)
an. XIV, 53. ‚pluribus laboribus iactatus'.	praef. §. 2. ‚tot in laboribus periculisque iactatus est.'
an. XV, 59. ‚nedum .... arma contra cieret.'	IV, 5, 2. ‚iterum arma cierat.'

1) Sic Bamb.-Naz. exhibet ‚fatio.' Cum ‚pactio' eadem vi ac indutiae nullo alio exemplo probari possit, Hauptius, quem Jahnius et Halmius secuti sunt, ‚fatigatio' scripsit. Fortasse Nazariani scriptura, cum subsequatur syllaba ‚aus' corrupta est ex ‚satias', quod simili loco Taciteo legitur: an. XVI, 15. ‚Etiam si bella et obitas pro re publica mortes tanta casuum similitudine memorarem, meque ipsum satias cepisset etc.'

Plurima alia exempla, quae huc pertinent, suo loco memorabuntur. Sed antequem ad rem ipsam quam mihi tractandam proposui, accedo, non praetermittendum est, Th. Wiedemannum in Phil. tomo XXXI. pag. 342—48 et 551—62. de Tacito Livii imitatore disserentem pag. 557. ann. 9 dixisse, elocutionis Taciteae et Florianae similitudinem ad communem Livii imitationem revocandam esse [1]). Quamquam hoc nullo modo negari potest, Florum plurima Livio debere neque hoc aliter fieri potuisse, cum Florus ex Livii historia quasi fonte hauserit [2]), tamen Wiedemanni sententiam omni ex parte rectam non esse, sed Floro etiam Taciti libros notos fuisse ex exemplis, quae iam attuli, apparet et iis, quae postea memorabuntur, demonstrabo. Sed ne in dubio esset, quid Florus Livio, quid Tacito debeat, etiam Livii in hac quaestione instituenda rationem habui, haud ignorans, non satis fructuosam esse hanc operam ad dictionis Florianae proprietatem cognoscendam, si omnia ea excluderentur, quae Taciti vere propria non essent. Omnem autem materiam ita digessi, ut syntaxim Taciteam a

1) Ut nonnulla exempla a Wiedemanno allata, quae infra haud ita bene laudari possunt, afferam, cfr. Liv. I, 28, 6. ‚Mettus foederis Romani Albanique ruptor.' ‚Tac. h. IV, 57. ‚ruptores foederum.' Flor. I, 3, 8. ‚ruptorem foederis Mettum Fufetium'. — Liv. X, 4, 7. ‚tecta semiruta'. Tac. an. I, 61. ‚semiruto vallo' Flor. II. (non ut Wiedem. IV.) 15, 13. ‚cum semiruta Carthagine.' — Liv. XXI, 21, 1. ‚seque non ducem solum, sed etiam causam esse belli'. Tac h. III, 70. ‚non iam imperator, sed tantum causa belli erat'. Flor. II, 16, 2. ‚Critolaus causa belli'. — Liv. VII, 17, 3. ‚quod sacerdotes eorum facibus ardentibus anguibusque praelatis incessu furiali militem Romanum insueta turbaverunt specie'. Tac. an. XIV, 30. ‚in modum furiarum veste ferali, crinibus deiectis faces praeferebant.' Flor. I, 12, 7. ‚Fidenae .... furiali more processerant; sed habitus ille feralis eversionis omen fuit'.

2) Hoc ipsi tituli in codd. exstantes indicant. Exhibet enim Bamb.: ‚Epithoma Juli Flori de Tito Livio bellorum omnium annorum septingentorum libri etc.', Nazar. autem: ‚L. Annei Flori epitoma de Tito Livio incipit liber primus etc.', quibus de titulis viri docti in varias abierunt sententias. — De Flori fontibus et inprimis de Livio Carolus Heynius agit in diss. Bonn 1866. ‚de Floro historico' pag. 35. sqq.

Draegero Lips. 1874 conscriptam sequens singulas res annotarem et singulis plerumque Taciteis, omnibus Florianis exemplis comprobarem. Nam ordinem a Draegero observatum, quamquam mihi non omni ex parte probatus est, tamen, quo aptior ad usum esset haec commentatio, retinendum esse censui, praesertim cum et illi scriptores, qui similia exhibent exempla, iam a Draegero investigati et memorati sint. In priore autem parte de rebus syntacticis, in posteriore de stilo ipso disputabimus.

Pars prior.

I.

De partibus orationis.

De substantivis. Substantiva abstracta pro concretis posita Floro cum Tacito communia sunt: ‚decora' i. q. decori homines h. II, 81. Fl. III, 21, 7. — ‚dilectus' i. q. milites dilecti h. IV, 71 Fl. IV, 2, 5. — ‚dominatio' i. q. domini an. XIII, 1. Fl. I, 24, 3. — ‚fides' i. q. testis, index h. II, 5 ‚praecipua concordiae fides Titus', h. IV, 85. Fl. I, 2, 3. ‚Janumque geminum, fidem pacis ac belli.' — ‚matrimonia' i. q. uxores an. II, 13. Flor. I, 1, 10. 25. — ‚mors' i. q. mortuus h. II, 45. Fl. III, 4, 2. 15, 6. — ‚partus' i. q. infantes an. III, 33. Fl. III, 4, 2. -- honor alicuius rei pro re ipsa G. 27. h. I, 21. ‚nec Lusitaniam rursum et alterius exilii honorem exspectandum'. Fl. IV, 2, 60 ‚in aureae loricae honore' Praeterea Thom. affert.: ‚decemviratus' pro decemviris I, 24, 1. ‚maiestas' pro rege II, 12, 10 quibus adde ‚successio' pro successoribus IV, 2, 65, ‚iustitia' pro legibus I, 24, 1. ‚tirocinia' pro tironibus II, 3, 3.

Quae Thom. concreta abstractorum vice fungentia affert.: II, 2, 7. ‚velocitas classis comparatae' II, 2, 11. ‚leve damnum fuit alter consulum interceptus' et similia, non huc pertinent, cum non substantivum, sed participium abstracti locum obtineat, qua de re infra dicetur. Potius huc rettulerim: transfugam simulare' h. e. transfugium s. I, 7, 6. ‚Italiam consummare' h. e. Italiae deditionem c. I, 18, 1. ‚regem addidit'. h. e. regium nomen II, 12, 10.

Plurali numero substantivorum abstractorum apud Tacitum frequentissimo etiam Florus non abstinuit. Ut distributione a Draegero p. 1 facta utar, tempestatem significant: ‚ardores' h. V, 6. Flor. IV, 10, 9. — ‚soles' II, 6, 22. — animi affectum: ‚metus' h, II, 12. Flor. II, 6, 43. — ‚odia' an. I, 33. Flor. III, 21, 5. IV, 2, 7. — ‚libidines' an. XI. 16. Fl. IV, 11, 2. — ‚irae' an. I, 55. Fl. II, 15, 8. — ‚gaudia' an. XIII, 46. Fl. II, 7, 14. — ‚furores' III, 12, 7. — ‚animi' III, 5, 3. — motionem: ‚recursus flexusque' IV, 11, 6. Certis legibus distingui non possunt: ‚necessitates' an. I, 11. Fl. II, 18, 12. — ‚iura' G. 32. Fl. III, 5, 7. — ‚luxus' an. IV, 67. Fl. II, 8, 8. — ‚cultus' IV, 11, 11. ‚diversitates' III, 10, 6. — ‚excidia' III, 12, 3. — ‚exitus' IV, 6, 4. — ‚eversiones' II, 16, 1. — ‚discrimina' IV, 8, 3. — ‚felicitates' III, 12, 7. — ‚otia' II, 8, 8. — ‚vociferationes' II, 7, 14. Restat ut pluralem ‚epistulae' de una epistula a Tacito non uno loco usurpatum (cfr. Nipp. an. I, 30.) apud Florum II, 12, 14 legi memorem.

Singularem numerum pro plurali atque pluralem et singularem promiscue Florus historicorum consuetudinem secutus in significationibus militaribus (barbarus, eques, hostis, miles) et in nominibus gentium ponit (Cilix, Germanus, Ligur, Macedo, Parthus, Poenus, Romanus), de quo non est, cur fusius dicam. Uno loco Flor. transmarinas gentes plurali numero, Italicas singulari distinguit: I, 18, 27. ‚Molossi, Thessali, Macedones, Brittius, Apulus adque Lucanus'. Videtur autem Flor. spectasse ad Tac. G. 37. ‚non Samnis, non Poeni'.

De adiectivis. Comparativi et superlativi rariores apud Tacitum et Florum leguntur: ‚reverentior' h. II, 27. Fl. II, 12, 10. ‚reverentius' IV, 12, 66. — ‚effusius' G. 21. Fl. IV, 2, 48. — ‚piissimus' Agr. 43. Fl. IV, 7, 15. Praeterea Thom. e Floro affert: ‚incitatissimus' praef. §. 6. — ‚diversissimus' II, 6, 51. — ‚ardentissimus' IV, 2, 42, quibus adde ‚horrentius' I, 7, 9. — ‚patentissimus' III, 3, 14. — ‚eminentissimus' IV, 12, 49. — ‚modulatissimus' II, 7, 15, quem superlativum Florus primus usurpavit.

Florus saepe adiectiva maxime generis neutrius pro substantivis adhibuit, qua in re eum Tacitum secutum esse exempla docebunt. Exstant autem illa adiectiva a) in numero singulari: ‚egregium' an. VI, 24. Flor. III, 10, 4. ‚illud egregium ipsius ducis'. — ‚nullo' i. q. nulla re an. III, 15. ‚nullo magis exterritus est' Fl. III, 10, 13. ‚nullo magis exprimi potest'. — ‚nullius' scl. rei I, 26, 5. — ‚in medium' h. IV, 64. Fl. II, 6, 24. — ‚in unum' h. IV, 70. Fl. IV, 2, 38. — ‚in diversum' an. XI, 19. Fl. II, 6, 20. — ‚per solidum' an. IV, 62. ‚in solido' Fl. II, 2, 9. — b) in numero plurali: ‚avia' an. VI, 21. ‚deserta' an. III, 21, ‚deserta et avia'. Fl. IV, 2, 86. — ‚per abrupta' Agr. 42. Fl. II, 7, 10. 12, 4. ‚prospera' an. I, 1. Fl. IV, 8, 3. — ‚inter extrema' an. XI, 37. ‚de extremis' Fl. IV, 2, 83. ‚extrema' IV, 12, 50. — ‚hostilia' h. III, 70. Fl. I, 18, 12. Alia exempla Floriana Thom. p. 6 laudat. De adiectivis cum genitivo substantivorum coniunctis infra dicetur.

Frequentissime Tacitus et Florus substantivis adiungunt adiectiva, quorum loco substantiva in genitivo casu posita exspectes, in exprimendis iis, quae ad urbes, terras, homines pertinent. Hoc in usu Tacitus plus sibi licentiae concessit, quam ceteri scriptores. cfr. Boetticheri lex. Tac. p. 36, ubi multa eiusmodi exempla enumerantur. Florus exhibet: ‚furiali more' I, 12, 7. (cfr. Liv. VII, 17, 3.) — ‚lictoria virga' I, 26, 3. — ‚hosticus adventus' II, 2, 18. — ‚consularis sententia' II, 7, 15. — ‚municipalia prodigia' III, 18, 6. Tac. h. II, 21. — ‚piratica rabies' III, 8, 2. — ‚civilis conspiratio' IV, 1, 9. — ‚Caesareana potentia' IV, 3, 2. — ‚Romana avaritia' III, 5, 18. — ‚maritimum genus' III, 6, 14. — Genitivi obiectivi loco posita sunt: ‚humani cibi' III, 5, 10. ‚regius terror' III, 5, 9. ‚servilis inscriptio' III, 19, 8. ‚humanae hostiae' I, 17, 7. cfr. Tac. an. XII, 51. ‚ob metum hostilem'. II, 44. ‚externus metus.' dial. 29. ‚histrionalis favor'.

Adiectiva pro adverbiis posita Tacitus et Florus haec habent: ‚multus in eo proelio Caesar fuit mediusque inter

imperatorem et militem' IV, 2, 50. Tac. Agr. 20 (cfr. Sall. Jug. 96, 3.) — ‚frequens' II, 15, 4. an. IV, 3. — ‚subitus' II, 15, 16. IV, 2, 59. h. III, 47. — ‚irritus' III, 7, 6. h. III, 20. — ‚inopinatus' Flor. III, 3. 15. 5, 25. ‚improvisus' h. IV, 33. — ‚primus' I, 9, 6. 10, 1. Agr. 19.

De adverbiis. Adverbia pro adiectivis attributivis posita primus Livius adamavit, tum Tacitus et post eum Florus. cfr. Draeg. p 8. Fl. II, 6, 26. ‚hostis totiens victor'. — III, 4, 1. ‚illi quondam tributarii Macedonum' h. II, 68. ‚et quondam ducis sui.' — Fl. I, 18, 12. ‚omnia circa quasi hostilia'. an. XVI, 3. ‚latis circum arvis'. — Fl. I, 4, 2. ‚velut maritimo urbis hospitio'. I, 18, 1. ‚una veluti ruina'. an. XV, 69. ‚occupare velut arcem eius'. Cicero hac vi ‚quasi' habet, quod apud Florum frequentissimum est. cfr. infra.

‚adhuc' de tempore praeterito haud raro apud Livium legitur neque rarius apud Tacitum (cfr. Draeg. p. 8.) Apud Florum exstat: I, 22, 1. II, 12, 15. III, 5, 31. 12, 2. IV, 6, 13. Idem dicendum est de ‚ceterum' adverbio pro ‚sed' posito, quod Florus habet II, 18, 8. III, 1, 11. 9, 5. IV, 12, 45. Tacitus primus fuit, qui huic voci eandem vim imposuit, quam apud ceteros scriptores ‚re vera autem' habet. cfr. Draeg. p. 7. Quod Florus III, 5, 3. imitatus est: ‚causam quidem illius belli praetenderat aput Cassium legatum, adtrectari terminos suos a Nicomede Bithyno; ceterum elatus animis ingentibus Asiae totius et, si posset, Europae cupiditate flagrabat'. — ‚mox' saepe apud Tacitum, raro apud priores scriptores, idem valet quod ‚deinde'. cfr. Flor. I, 11, 5. I, 19, 1. III, 10, 8. 29, 6. IV, 12, 59. Etiam in complurium rerum enumeratione usitatum est: Tac. an. XI, 22. primum — dein — mox — post. Fl. I, 9, 6. prima — mox — deinde — tum. — ‚sic' pro ‚ita' apud Tacitum et Florum in locutione, ut sic ‚dixerim' legitur: dial. 34. 40. Fl. I, 11, 11. — ‚utcunque' apud nostrates ‚einigermassen, allenfalls' nonnumquam apud Tacitum legitur, cfr. Draeg. p. 8. Apud Florum exstat III, 21, 2. IV, 2, 51. Alia, quae de adverbiorum usu Floriano dicenda sunt, Thom.

p. 8 et 9 annotavit; non autem memoravit, Florum adverbium ‚aliorsum', quod apud Plautum Truc. II, 4, 47 et apud Terentium Eun. I, 2, 2. legitur et inde a Catonis aetate nullo exemplo probari potest, (cfr. Paul. Diac, p. 27 ed. Muell.) primum in orationem recepisse: II, 4, 5. ‚aliorsum vota ceciderunt'.

De verbis. Verba simplicia pro compositis apud utrumque scriptorem leguntur: ‚cedere' i. q. procedere Agr. 18, Fl. II, 17, 15. ‚si fortuna cessisset'. — ‚cire' i. q. concire an. XV, 59. Fl. IV, 5, 2 ‚arma cierat'[1]). — ‚cludere' i. q. includere dial. 30. Fl. I, 16, 10. III, 20, 13. — ‚flere' i. q. deflere an. VI. 10. Fl. I, 3, 5. — ‚pensare' i. q. compensare Agr. 22. Fl. IV, 9, 7. 11, 5. — ‚quatere' i. q. concutere h. IV, 28. Fl. II, 9, 2. — ‚rapere' i. q. corripere h. II, 17. Fl. III, 5, 6. III, 20, 5. i. q. eripere an. II, 71. Fl. III, 5, 13. IV, 12, 7. — ‚spargere' i. q. ‚dispergere' an. III, 21. Fl. IV, 2, 65. Contra paucis locis verbum compositum legitur, ubi in simplici non offendissemus: ‚inmittere' an. III, 16. Fl. III, 1, 8. ‚inmisso percussore'; cfr. an. XI, 1. et Fl. III, 1, 7; ‚adesse' an. IV, 15. ‚aderant iuveni modestia ac forma'. Fl. IV, 2, 56. ‚aderat puellae forma'.

Quod attinet ad temporum usum Florus aeque ac Tacitus, qui hac in re Livium sequitur, perfectum et plusquamperfectum permutat. cfr. Draeg. p. 11 et s. h. I, p. 258. qui tamen exempla ex iis, qui post Tacitum fuerunt, scriptoribus non affert.

a) Perfectum plusquamperfecti locum obtinet, cum rem peractam esse praesentis magis quam praeteriti temporis interesse exprimatur: Fl. I, 18, 13, ‚ac sic eaedem ferae, quae primam victoriam abstulerunt, secundam parem fecerunt, tertiam sine controversia tradiderunt'. II, 1, 2. 18, 17. III, 10, 14.

b) Plusquamperfectum perfecti vice fungitur, cum potissimum ad eventum respiciatur, quo actio praeterito tempore usa

1) Hoc loco Hauptii coniectura, qua Nazariani lectionem ‚in arma ierat' emendavit, quamque Jahnius et Halmius receperunt, Taciti testimonio confirmatur.

sit: IV, 11, 4. ‚Caesar ... traiecerat et ... succinxerat'. IV, 12, 22.

De modorum usu memorandum est, Florum Tacito auctore in enuntiatis secundariis coniunctivum perfecti potentialem praesentis temporis vi usurpasse. cfr. Draeg. p. 12 et Nipp. an. VI, 22. ‚ut sic (ita) dixerim' dial. 34. 40. Agr. 3. Germ. 2. an. XIV, 53. Flor. I, 11, 11. II, 6, 27. III, 21, 3. ‚hostile potius an civile dixerim, nescio'.

Infinitivus historicus apud Florum non tam frequens est, quam exspectes: III, 17, 4. 9. IV, 2, 9. 17. 38. 42. 4, 2. Septies legitur IV, 2, 82, ubi narrationis calore suavissime afficimur: ‚ibi prensare fugientes, confirmare signiferos, orare hortari increpare, per totum denique agmen oculis manibus clamore volitare.'

II.

De enuntiato simplici.

De praedicato. Taciti maxime proprium est, duobus subiectis idem sed separatim facientibus pluralem praedicati numerum adiungere, cuius rei multa exempla Draeg. s. h. I, p. 174. affert. Hanc etiam Florus sibi legem tulit: II, 6, 60. ‚hoc Scipio de Hannibalis, Hannibal de Scipionis exercitu praedicaverunt.' IV, 1, 10. Caesar parcendum dignitati, Cato animadvertendum pro scelere censebant'. — ‚pars' sensu collectivo pluralem praedicati numerum habet: an. II, 24. ‚pars navium haustae sunt.' Fl. IV, 12, 50. ‚seque pars maior a captivitate liberaverunt.'

Nihil apud Tacitum et Florum frequentius est, quam omissio verbi substantivi. Omittitur autem a) indicativus (cfr. Her. h. IV, 12) cuius rei exempla, cum in quavis Flori pagina le-

gantur, afferre supersedeo. Florum in hac re Tacitum secutum esse, inde apparet, quod causam aut originem alicuius rei narrans saepissime post ‚hinc, inde, unde' ‚est' sive ‚erat' omittit, quem usum apud Tacitum circiter quadragies inveniri Heraeus h. I, 19 affirmat. Fl. I, 1, 13. ‚hinc templum et Stator Juppiter'. II, 6, 27. 16, 3. — I, 3, 7. ‚spes inde nostris, metus hostibus' I, 5, 5. 13, 20. II, 17, 5 III, 10, 5. IV, 2, 46. — I, 13, 20. ‚unde Torquati' scl. nomen est. IV, 12, 10. 40. — Etiam in enuntiatis relativis, condicionalibus, temporalibus verbum substantivum desideratur, qui mos apud ceteros scriptores rarissimus est, excepto Tacito, cuius exempla Draeg. p. 16. enumerat. Fl. I, 3, 1. ‚cui in honorem virtutis regnum ultro datum' I, 7, 1. IV, 8, 5. — I, 11, 10 ‚si tamen illa classis.' III, 19, 1. 20. 1. — III, 12, 2. ‚dum sincera adhuc .... integritas'. — b) coniunctivus. cfr. Her. h I, 21, α) sequente altero coniunctivo h. I, 21, 40. 79. Fl. I, 9, 7. 10, 6. ‚cum interim hic interritus ille trepidaret.' β) non sequente altero coniunctivo h. I, 85. an. I, 7. Flor. III, 3, 13 ‚si .... petissent, grande discrimen' scl. fuisset. γ) in interrogatione indirecta: an. I, 11, 16. 48. etc. Fl. II, 6, 17. ‚dubium, uter maiore animo' scl. fuerit. — c) infinitivus et quidem α) ‚esse' maxime in participiis perf. pass. et fut. act. β) ‚fore' h. IV, 23. Fl. I, 7, 9. ‚si quidem firma omnia et aeterna (scl. fore) pollicebantur'. ‚fore' raro apud Livium, apud Ciceronem non deest.

Verba movendi et agendi desunt: ‚profectus est' an. IV, 57. Fl. III, 6, 12. 10, 18. — ‚egit' Agr. 19. Fl. I, 10, 7. II, 15, 17. III, 2, 1. 6, 13. IV, 2, 29, 64. 67. ‚statim exercitus in fugam (scl. actus est) nec duces fortius (scl. egerunt), quam ut effugerent'.

Adverbium praedicati vice fungitur: ‚longe esse'. h. II, 16. Fl. II, 2. 8. ‚longe illis nauticae artes'. h. e. non profuerunt. II, 6, 34.

De casibus. 1. De accusativo. Accusativus localis, de quo cfr. Draeg. p. 17. apud Florum legitur II, 2, 5.

‚Sardiniam adnexamque Corsicam transiit‘ II, 6, 21. III, 10, 16. 23, 7.

Accusativi verbis intransitivis adiuncti, Floro et Tacito haec exempla communia sunt: a) verborum, quibus animi affectus exprimitur: ‚expavescere‘ h. II, 76. Fl. I, 26, 3. III, 4, 6. ‚tenebras saltuum expavit‘. — ‚flere‘ an. VI, 10. Fl. I, 3, 5. b) verborum compositorum: ‚accedere‘ an. II, 58. Fl. II, 12, 5. — ‚elabi‘ h, III, 59. an I, 61. IV, 64. Fl. I, 10, 7. ‚elapsa custodiam‘ [1]). Dativus legitur an. V, 10, fortasse etiam Fl. II, 18, 3. — ‚erumpere‘ an. XII, 63. Fl. III, 20, 3. ‚erupere Capuam‘ — ‚evadere‘ an. V, 10. Fl. II, 11, 6. III, 21, 7. — De discrimine, quod intercedit inter verba quae sunt ‚insidĕre‘ et ‚insidēre‘, in lexicis vix quicquam certi reperias. Hoc tenendum est, ‚insido‘ esse ‚demitto me ad sedendum‘, ‚insideo‘ autem ‚sedeo in aliqua re‘, ut ‚possido‘ est ‚occupo aliquid,‘ ‚possideo‘ autem ‚habeo aliquid in possessione. Itaque insidĕre exstat apud Tacitum et Florum his locis: h. III, 69 ‚arcem Capitolii insedit‘. Flor. III, 21, 7. ‚arcemque Capitolii ... victor insedit‘. h. IV, 73. ‚Rhenum insedimus‘. an. II, 16. ‚iuga insedere‘. II, 59. III, 61. XIII, 54. Flor. II, 6, 47. ‚ager quem Annibal castris insederat‘. II, 11, 5. III, 23, 6. IV, 7, 6. 8, 1. — ‚insidēre‘ autem statuendum est an. II, 21. ‚insidens capulo manus‘. XII, 64. ‚fastigio Capitolii examen apium insedit‘. Flor. IV, 7, 7. ‚nam et signis insedit examen‘. Quantum igitur ex his quae attuli exemplis colligi licet, apud Tac. et Flor. ‚insidĕre‘ cum accus., insidēre cum dat. coniungitur. — ‚insultare‘ an. XI, 28. Fl. I, 18, 4; sed III, 15, 6 dativus legitur. — ‚irrumpere‘ an. VI, 33. Fl. II, 12, 7. — c) ‚penetrare‘ an. I, 69. Fl. II, 7, 10. ‚Chaonum montes penetravimus‘. III, 1, 14. 4, 6. Passive an. XV, 27. ‚iter L. Lucullo quondam penetratum‘. Fl. III, 10, 15. ‚nec semel Rhenus penetratus‘. ‚triumphare‘ passive legitur Tac. an. XII, 19. ne ‚triumpharetur‘ scl. Mithridates.

---

1) Sic e Nazariano edendum esse, Sauppius ‚de arte critica in Flori bellis recte facienda‘ in ind schol. Goetting. 1870. pag. 9. ostendit.

Fl. IV, 2, 20. ‚per triumphatum a se mare‘. Hunc usum exhibent primi poetae, tum Plin. mai. et Tacitus. Sed III, 22, 2. ‚usque in Oceanum fortunatasque insulas penetravit‘. — ‚indulgere‘ an. I, 52. Fl. II, 14, 5. ‚hoc quoque illi in malis suis indulgente fortuna‘; nos vertimus, ‚bewilligen‘. — ‚indutus‘ cum acc. legitur h. II, 20. Fl. IV, 11, 11. ‚maximos induta cultus‘. Sed hic usus, quamquam rarissime, invenitur tamen apud Liv. Vell. Curt, alios. — Pronomen reflexivum deest apud Tacitum et Florum praecedente ‚invicem‘. cfr. Naegelsbach. de latine scribendi praeceptis p. 241. h. IV, 47. ‚experti invicem sumus.‘ Fl. IV, 10, 1. ‚Expertis invicem Parthis adque Romanis.‘ II, 11, 6. III, 22, 7. IV, 2, 49.

2) **De dativo.** Dativi insolentius verbis adiuncti Tacitus et Florus haec exempla communia habent: an. I, 48. ‚utque . . . se ipsos morti eximant, hortatur‘. Fl. III, 21, 15 ‚se ludibrio hostium exemit‘. — dial. 3. ‚ut . . . novae cogitationi . . incumbam‘. Fl. III, 16, 2. ‚rogandis legibus incubuit.‘ —

Dativo commodi Tacitus magnopere indulsit. cfr. Draeg. s. h. I. p. 441. sq. Etiam apud Florum frequens est; exempla notabiliora sunt: I, 16, 2. ‚bellum tanquam sibi gessit‘. IV, 2, 23. ‚vinci eam sibi iussit‘. IV, 9, 5 ‚sibi vincentibus‘ cfr. Tac. h. II, 83. ‚si sibi Brundisium Tarentumque infestis classibus peterentur.‘ Fl. II, 8, 5. ‚hostem populo Romano quaerebat‘. cfr. Tac. h. II, 26. ‚tanquam fatri proditionem ageret‘. Fl. III, 5, 21. ‚nomen et titulos gloriae Pompeio suo Fortuna quaerebat‘. Haec sufficiant; multa alia exempla Floriana Thom. p. 15. affert.

Dativus verbo passivo adiunctus, ubi praepositionem ‚a‘ exspectes, de cuius usu Draeg. p. 23. et Nipp. an. II, 50. verba faciunt, apud Florum legitur: I, 7, 9. ‚molientibus aedem humanum repertum est caput.‘ III, 1, 14. ‚urbem Herculi conditam Capsam‘ ubi tamen Bamb. ‚ab Hercule‘ exhibet. II, 17, 12. ‚formidatumque militibus flumen. III, 15, 6. ‚caput percussoribus auro repensatum‘. IV, 2, 91. ‚non ingratis civibus omnes in principem congesti honores‘.

Dativi pro genitivo secundum Livii (cfr. Kuehn. p. 119) et Taciti (cfr. Draeg. p. 24) consuetudinem positi Florus haec exempla habet: I, 18, 10. ‚cladi finis fuit'. IV, 2, 90. cfr. Tac. h. I, 67. (cfr. Her.) ‚initium bello' an. II, 21. ‚finem bello'. — Fl. IV, 2, 35. ‚sedem bello Epiron elegerat' Tac. h. II, 19. ‚quod sedem bello legisset'. — Fl. I, 1, 4. ‚Alba tum erat Latio caput'. h. V, 8. ‚Hierosolyma genti caput.' — Fl. III, 19, 3. ‚materiam bello praebuere'. an. XII, 22. (cfr. Nipp.) ‚materiem sceleri'. — In locutione ‚ne quid deesset', Florus semper dativum ponit, non genetivum a ‚quid' pendentem. III, 19, 6. ‚ne quid malis deesset' (cfr. Freudenberg. in mus. rhen. t. XXII. p. 28.) III, 20, 7. IV, 2, 52. Similiter Fl. III, 20, 11 dicit ‚quod satis est turpitudini nostrae'.

3) **De genitivo.** Genitivus quantitatis, qui dicitur, neutris adiectivorum aut pronominum adjunctus, apud Florum satis frequens est. Ut de iis exemplis taceam, quae omnium usu frequentantur, (cfr. tamen Thom. p. 16), ea tantum afferre satis habeo, quibus Florus propius ad Tacitum videtur accedere: I, 26, 9 ‚illud fretum adulescentiae' Tac. an. XIV, 56. ‚lubricum adulescentiae'. — I, 1, 15. ‚subita belli'. Tac. Agr. 37. Liv. VI, 32, 5. — II, 19, 1. IV, 5, 3. ‚extrema deditionis'. III, 20, 12. ‚extrema Italiae'. III, 3, 1 ‚ab extremis Galliae'. Tac. an. IV, 74. ‚imperii extrema'. II, 54, ‚extrema Asiae'. — Fl. II, 6, 41. III, 6, 1. 19, 2 ‚diversa terrarum'. III, 5, 27. diversa gentium terrarumque'. — IV, 7, 6 ‚sed nec tum inminentia destinatae cladis latuerunt' [1]). Hoc genitivo primus Cicero, sed nonnisi sensu partitivo et plerumque praecedente superlativo usus est; plus licentiae Livius sibi concessit, quocum Tacitus multa exempla communia habet; cfr. Wiedemannum l. c. pag. 348 et Kuehnastii synt. Liv. p. 78.

1) Sic Bamb. exhibet, cuius lectio loco Taciteo an. V, 4 ‚dum imminentium oblitus incerta pavet' confirmatur. Etiam Naz. exhibet: ‚inminentia destinatae cladis signa latuerunt', cui lectioni Halmius vim intulit, cum ederet: ‚omina inminentis cladis latuerunt'. Dubium non est, quin in Naz. ‚signa' a librario additum sit; itaque optimi cod. Bamb. scriptura servanda est.

Genitivus ab ,eo' adverbio pendens inde a Ciceronis aetate, rarissime quidem, legitur; Tacitus eum frequentius usurpavit. cfr. Draeg. p. 29 et s. h. I, p. 451. Apud Florum legitur. II, 18, 12. ,eo necessitatum'. III, 12, 6. ,eo magnitudinis' III, 16, 3 ,eo vaesaniae progressus est.' cfr. Tac. an. IV, 10. ,eo audaciae provectum'.

Plurali numero adiectivorum masculini aut feminini generis genitivum partivum primi poetae, tum Livius adiungunt; apud Tacitum is genitivus frequentissimus est. cfr. Draeg. s. h. I, p. 457. Nipp. an. III, 39. Her. h. III, 12. E Floro huc pertinent: ,pervicacissimi Latinorum' I, 11, 11. ,Samnitium reliqui' I, 17, 1. ,opulentissimi Etruscorum' I, 21. ,plerosque debitorum' I, 26, 8. ,solis gentium' II, 17, 13. ,saevissimi omnium Thraecum' III, 4, 3. ,cruentissimi hostium' III, 4, 7. 10. 10, 2.

Genitivus relationis adiectivis adiunctus, quem Tacitus more poetarum frequentius et licentius, quam ceteri prosae orationis scriptores adhibuit, etiam apud Florum haud raro legitur: ,aeger rerum temere motarum.' III, 17, 9. Liv. I, 58, 9. ,aeger animi'. Tac. h. III, 58. cfr. Wiedemann. l. c. pag. 346. — ,frugum ferax' III, 19, 3. IV, 12, 60. Tac. an. IV, 72. ,beluarum feraces saltus'. — ,inmunis imperii IV, 12, 46. 61. Liv. XXXVIII, 44, 4. Tac. an. I, 77. cfr. Wiedemann. l. c. p. 348. ann. 1. — ,impatientes iugi'. II, 17, 8. III, 6, 6. 21, 6. Tac. h. II, 40. — ,profugus feralis illius tabulae' III, 22, 2. — ,regni fugitivus' III, 1, 12. Tac. an. XV, 1. ,regni profugus'. Sed Fl. III, 21, 10 legitur ,profugus patria sua' ut Tac. h. III, 56. profugus altaribus', et IV, 2, 85. ,profugus a proelio' ut Tac. h. II, 46. ,profugi e proelio'. — ,rudes bellorum' IV, 2, 67. Tac. an, I, 29. — suspectus regiae dominationis' I, 26, 7. Liv. XXIV, 9, 11. ,suspectum cupiditatis imperii'. Tac. an. III, 29. ,suspectum nimiae spei' cfr. Wiedemann. l. c. p. 345. Quod Draeg. s. h. I, p. 476. e Floro affert IV, 1, 6 parricidii innocens' (cfr. Tac. an. IV, 34 ,innocens factorum'), haec lectio exstat in cod. Naz., sed si in sententiam eius loci diligentius inquiras, non erit dubium, quin e cod. Bamb. edendum sit ,patriciis innocentius'.

Quod Florus I, 11, 1 dicit ‚lacus Regilli', eius usus exempla a Draeg. s. h. I, p. 466. cum e Livio et Vergilio laudantur, tum e Tacito an. VI, 40. XV, 46. ‚promunturium Miseni'.

4) **De ablativo.** Florus more Taciteo non semel post verba separationem significantia ut cadendi, cedendi, exeundi, pellendi, similia ‚a' vel ‚de' vel ‚ex' praepositiones omittit, et quidem a) apud terrarum nomina (cfr. Nipp. an. II, 69.): ‚Euboea depulisset' III, 5, 11. ‚Italia progredi' III, 12, 1. ‚pulsus Etruria' IV, 2, 19. Tacitus hoc modo adhibet: Britania, Gallia, Hispania, Italia, Judaea, Illyrico, Lucania, Suria. b) apud substant. appellativa: ‚abhorrebat moribus' I, 7, 3. Tac. h. V, 24 ‚abhorrebat vero' cfr. Thom. p. 17. Exempla Tacitea, qui huius usus poetas et Livium (cfr. Kuehn. l. c. p. 166, ann. 111.) auctores sequitur, Draeg. p. 25 et 26 enumerat.

Ablativo loci, qui vocatur, Tacitus et Florus frequentissime utuntur, ita tamen, ut Flor. apud substantiva appellativa praeter II, 2, 7. ‚mari'[1]) attributum non omittat, cuius omissione Tacitus longe a ceterorum scriptorum consuetudine recedit. cfr. Draeg. p. 26. — Fl. III, 18, 9. ‚Asculo'. IV, 2, 19. ‚Arimino' IV, 8, 3. ‚Peloro'. cfr. Tac. an. III, 61. ‚Delo'. I, 18, 20. ‚Pomptino agro'. I, 18, 11. ‚Arusinis campis' cfr. an. IV, 21. ‚saxo. Seripho.' Flor. IV, 12, 1 ‚diversis orbis oris. Multa alia exempla ap. Thom. p. 17. praesto sunt.

Ablativus modi inde a Livii aetate attributo caret; Tacitus hunc abl. brevitatis causa adamavit. cfr. Draeg. s. h. I. p. 541. E Floro memoranda sunt: I, 10, 9. ‚spolia triumpho reportata'. Tac. an. XV, 45. ‚quod triumphis sacraverat.' — I, 12, 9. ‚non scalis nec inruptione, sed cuniculo et subterraneis dolis peractum urbis excidium'. Tac. h. II, 42 ‚catervis et cuneis concurrebant.' — II, 2, 4 ‚orbem terrarum bellis victoriisque peragravit.' II, 17, 6. ‚raptaque impetu erat.' cfr. Tac. an. XV, 38. ‚impetu pervagatum incendium'.

---

1) In libris exstat: ‚Duillio Cornelioque consulibus etiam mari congredi ausus est.' Vereor ne ‚in' ante ‚mare' a praecedente litera m correpta sit. Nam alias Florus semper ‚in mari' dicit: II, 2, 33. 37. III, 5, 18. 28.

Neque minus licenter Tacitus ablativum instrumenti de personis usurpat; apud priores hic usus rarior est. cfr. Flor. II, 18, 6. ‚maximo duce oppressa civitas.' III, 6, 8. ‚pluribus legatis atque praefectis utraque Ponti et Oceani ora conplexus est.' IV, 1, 3. ‚quibus sociis adgressus est!'

Ablativum qualitatis Tacitus aeque atque eiusmodi genitivum omisso nomine ponit. cfr. an. I, 19. ‚Blaesus multa dicendi arte'. Fl. I, 20. ‚Brundisium inclito portu.' I, 1, 10. ‚visum a se Romulum augustiore forma'. I, 4, 1. ‚Ancus deinde Marcius raro ingenio',[1]) I, 14, 1. ‚ius civitatis pari imperio et magistratu'. III, 1, 3. ‚hic, Massinissa avo, Micipsa patre'. cfr. Tac. an. III, 75. ‚Capito Ateius .... avo centurione Sullano, patre praetorio', nisi forte his locis abl. abs. statuendus est.

Ablativi causales, quos vocant, aput utrumque scriptorem frequentes sunt, sive causa intra, sive extra subiecti vim posita est. Prioris generis exempla Rothius Agr. p. 171. affert. Ex his apud Florum leguntur: ‚contemptu' I, 14, 1. ‚cupidine' III, 18, 3. IV, 10, 2. ‚furore' I, 24, 1. ‚invidia' I, 13, 1. ‚metu' IV, 2, 21. ‚odio' II, 15, 4. ‚pudore' IV, 2, 81. ‚virtute' ibid. His adde: ‚aemulatione' an. I, 44. Fl. I, 11, 1. 14, 1. ‚respectu' dial. 16. Fl. IV, 2, 79 ‚fiducia' IV, 2, 62. ‚superbia' 1, 7, 7. Alterius generis exempla haec sunt: ‚ingenio situs' II, 17, 3. Tac. h. I, 51. — ‚victor augurio' I, 1, 7. — ‚inopia' IV, 2, 32. Tac. an. VI, 17. — ‚magnitudine cladis II, 6, 15. Tac. h. I, 28. — Loci a Thoméo p. 18. huc relati I, 16, 4. et II, 6, 22. ‚tepentes fontibus Baiae' et II, 13, 1 ‚pecunia militaverant' vereor ne huc cadant; prioribus enim locis abl. relationis sive limitationis, posteriore autem abl. pretii videtur statuendus esse.

De attributo. Substantiva attributa adiectivorum loco a Floro posita Thom. p. 22. enumerat. Ex his e Tacito aut

---

1) Equidem Franzisco Koehlero assentior, qui in ‚Observat. crit. in Julium Florum' diss. Goetting. 1865 pag. 7 codicum lectiones: Bamb. ‚raro ingenio, Naz. ‚pari ingenio', codicum Jordanis (cfr. Jahnii praef. p. VI sqq.) ‚pravo ingenio' ita coniunxit, ut scribendum proponeret ‚par avo ingenio.'

e poetis videtur petitum ,bellatoribus viris' I, 8, 4. cfr. Tac. G. 14. ,bellator equus'. Quod Tacitus an. I, 8. habet ,nomen Augustum' Florus videtur imitatus esse III, 7, 6 ,cognomen Creticum'. (Liv. XXX, 45. ,Africanum cognomen').

De praepositionibus. ,apud' pro ,in' cum abl. Tacitus insolentius non solum cum terrarum et urbium nominibus coniungit, sed etiam cum substantivis appellativis et cum pronominibus. cfr. Nipp. an. I, 5. Hunc usum Florus a Tacito mutuatus est: I, 1, 5. ,ipse fluminis amator et montium, aput quos erat educatus'. IV, 2, 45. ,aput principia conspectus est', sed III, 10, 12 ,in principiis' legitur.

,circa eadem vi qua ,in' cum abl. fungitur apud argenteae latinitatis scriptores; exempla Tacitea Draeg. p. 36. laudat. cfr. Fl. I, 10, 5 ,frustrato circa purpuratum eius ictu.' I, 18, 22. ,cum decem pondo auri circa Rufinum . . . damnaret'. III, 19, 12. ,circa adprehendendum eum a multitudine contenditur'. Tac. dial. 28. ,circa educandos formandosque liberos. IV, 2, 77. 12, 1.

,post' Tac. nonnullis locis ita usurpat, ut aut participium addendum sit, aut idem valeat quod postquam cum enuntiato temporali: h. III, 49. (cfr. Her.) ,post Cremonam' scl. excissam. an. I, 68. ,post grave vulnus' h. e. postquam g. v. accepit. Hanc vim ,post' etiam apud Florum habet, ita tamen, ut ubique verbum pugnandi aut vincendi subaudiendum sit: I, 19, 1. ,post Tarentum' scl. captum. II, 7, 1. ,post Carthaginem' III, 1, 1. 4, 1. IV, 2, 29. 8. 9. cfr. Woelfflin. in Phil. t. XXVI. p. 133. Binsfeld. in mus. rhen. t. XXVI. p. 312.

,de' praepositioni saepissime apud utrumque scriptorem discedendi vel exeundi notio inest, sed hac in re Ciceronem, Livium, alios secuti sunt. Magnam similitudinem habet locus Flor. II, 6, 38. ,cui iam grande de Africa nomen fata decreverant' cum Tac. an. I, 15 ,ludos, qui de nomine Augusti . . . . Augustales vocarentur'. Ceteri prosae orationis scriptores tali loco ,a' ponunt, ut Cic. Phil. 4, 2. at eo deo traxisse nomen.'

In ,ex' praepositionis usu Tacitus saepuis quam ceteri scriptores a vulgari consuetudine recedit. Significat autem ,ex' a) originem Agr. 16. ,ex legato timor' h. II, 85. ,ex metu consilium.' Fl. I, 7, 10. ,hanc ex liberis eius inportunitatem' I, 18, 6 ,semigraecam ex Laecedaemoniis conditoribus civitatem.' I, 22, 1. ,quaedam adhuc ex pastoribus feritas.' b) causam, qui quidem usus etiam apud ceteros scriptores invenitur. Fl. I, 1, 15. 7, 1. et saepius. — c) modum, ita ut idem valeat, quod ,secundum'. an. II, 63, ,ex memoria'. Fl. 1, 13, 6. IV, 2, 79. 7, 8. ,ex more'. III, 12, 4. ,ex ordine'. II, 12, 2 ,ex gentis dignitate.'

,pro' ,de' praepositionis vice fungitur post adiectiva, quibus curae aliquid esse sive non esse significatur, qui usus etiam nonnullis exemplis Livianis probari potest. cfr. Draeg. s. h. p. 37. Agr. 26. ,securi pro salute'. Fl. II, 2, 26. ,multo acrior intentiorque pro ultione Reguli, quam pro victoria fuit'.

In ,in' praepositionis usu haec inter Tacitum et Florum similitudo intercedit: ,in' cum acc. iunctum significat a) condicionem, G. 18, an. XI, 13. ,ne in mortem parentum . . . . faenori daret'. Fl. II, 6, 23. ,in sacramentum liberata servitia I, 26, 6. II, 18, 4. — b) effectum, inde a Livii aetate. cfr. Kuehn. l. c. p. 363. h. I, 18. ,in maius credebatur'. Fl. II, 18, 8. ,in ultionem excanduit.' III, 18, 3. ,in spem erexerat'. IV, 7, 8. ,pari in meliora praesagio'. — c) consilium, cfr. Nipp. an. II, 13. Fl. II, 7, 8. ,adesse in auxilium'. IV, 12, 57. ,in captam urbem faces poscere'. I, 17, 1. ,in excidium Romani nominis coniurant'. cfr. II, 2, 20. 15, 10.

Thom. non memoravit, apud Florum posteriorum scriptorum more ,in' pro ,usque ad' legi. cfr. Draeg. s. h. I, p. 655. Fl. praef. §. 1. ,in Caesarem Augustum' §. 8. ,in saeculum nostrum.'

III.

De enuntiatorum coordinatione.

De particulis copulativis. In pluribus rebus enumerandis Tacitus, cum tertio membro aut attributum adiungat, aut maiorem vim addat, aut eo, quid duobus antecedentibus membris effectum sit, significet, ‚et‘ ponit, cuius usus Livium habet auctorem. cfr. Kuehn. l. c. p. 286. Her. h. I, 51. Huius rei exempla Floriana sunt haec: I, 18, 25. ‚eodem postea bis exuto castris, bis saucio, et in Graeciam suam fugato.‘ III, 21, 11. ‚late concurritur, servitia et ergastula armantur et facile invenit exercitum imperator.‘ Simillime comparatus est locus Tac. an. I, 44. ‚puniret noxios, ignosceret lapsis et duceret in hostem‘. Sed Tacitus ab hac consuetudine nonnullis locis ita recedit, ut tertium membrum per ‚et‘ copulet etiam si talis causa non cernitur; cfr. an. II, 81. ‚hastas, saxa et faces.‘ Hac in re Florus eum secutus est: II, 6, 16. ‚vento, pulvere et sole‘ III, 17, 5. signa, aquilae et vexilla‘.

‚iam et‘ quod Tacitum, ne repetita voce ‚iam‘ legentium aures offenderet, pro ‚iam etiam‘ posuisse Woelfflinus in Phil. t. XXV, p. 110. ostendit, etiam Florus adamavit: II, 6, 42. 15, 11. III, 20, 3. IV, 2, 10. 8, 1.

‚et‘ explicativum, cuius exempla Tacitea Draeg. p. 44 laudat, apud Florum legitur: I, 11, 10. ‚pervicacissimi ... Aequi et Vulsci fuere et cotidiani hostes‘. I, 13, 10. ‚sic ut in trabeis erant et amplissimo cultu‘.

In compluribus membris, quae quidem parem habent circuitum, copulandis Tacitus multo liberius quam ceteri scriptores variat particulas; cfr. Draeg. s. h. II, p. 63. Exempla Floriana tam frequentia sunt, ut omnia afferre supersedere possim: I, 2, 3. ‚ancilia adque Palladium Janumque geminum.‘ II, 16, 6 ‚raptum incensumque adque proiectum‘. II, 17, 5. ‚contagium ac series causaeque bellorum.‘ III, 5, 25. ‚per Thracen, Mace-

doniamque et Graeciam.' IV, 12, 24. cfr. Tac. h. II, 97. ,e Germania Britaniaque et Hispaniis'.

Idem dicendum est de ,nec' particula pro ,ne-quidem' posita, cuius Florus amantissimus est: I, 15, 3. ,nec ipse'. II, 8, 12. ,nec spectare'. II, 15, 4. III, 1, 11. 5, 31. 6, 5. 17, 2. IV, 1, 2. 2, 3. 7, 6. 12, 16. 20. Uno loco Florus, duobus membris ,neque' particula copulatis tertium per ,ac ne-quidem' quo maiorem huic membro vim addat, adiungit: IV, 10, 2. ,neque causa, neque consilio ac ne imaginaria quidem belli indictione'. cfr. Tac. Germ. 7. ,neque animadvertere, neque vincire, ne verberare quidem'.

In particularum correlativarum usu nihil mentione dignum repperi, nisi Florum formulam, ,pariter et' usurpasse, quae nonnumquam apud Quintilianum et apud Tacitum legitur. cfr. an. XIII, 39. ,gloriae pariter et praedae'. Fl. II, 14, 3. ,regnum pariter et bellum'. III, 10, 20. ,pariter Avernos atque Biturigas'.

De particulis adversativis. ,enimvero' a Tacito sex annalium locis pro ,sed' sive ,autem' usurpatum apud Florum exstat II, 7, 10. ,enimvero Flaminino duce . . . penetravimus.'

,sed et' pro ,sed etiam' a Tacito ita positum est, ut tanquam subaudiendum sit ,non solum'. cfr. Draeg. s. h. II, p. 109. Apud Florum legitur II, 6, 58. ,non fuit maior . . . dies quam ille, cum . . . direxere aciem. sed et conloquium fuit' etc. Cogitandum est: ,non solum direxere aciem, sed etiam' etc. Formulam ,non solum (modo, tantum) — sed etiam' Florus ita variat, ut modo ,quoque' pro ,etiam' ponat, modo ,etiam' omnino omittat, quin etiam uno loco ,modo' omittat: II, 2, 20. ,nec cum hominibus, sed cum monstris quoque dimicatum est.' Quae variatio, quamquam Taciti vere propria non est, tamen hoc loco videtur memoranda esse, ut etiam ad Florum pertinere appareat, quod Nipperdeius an. I, 60[1]) de ,etiam' parti-

1) Huic legi Tacitum ubique obtemperasse, Draeg. s. h. II, p. 105. suo iure negat; itaque haec annotatio in novissima editione, quam Andresenius Berol. 1878 curavit, omissa est.

cula omissa iudicaverit: ‚sed nach non modo wird gesetzt, wenn das zweite Glied das erste mit umfasst oder so bedeutend ist, dass das erste nicht in Betracht kommt.‘ cfr. Fl. I, 16, 3. ‚non modo Italiae, sed toto orbe terrarum.‘ II, 18, 2. ‚nec sustinuit, modo, sed saevius aliquando perculit. cfr. II, 20, 1. III, 4, 4. IV, 8, 2.

De asyndeto. Varia asyndeti genera apud Ciceronem, Sallustium, Livium, alios aeque frequentia sunt atque apud Tacitum, quare non est, cur de iis accuratius disseram. Hac autem re Tacitus a vulgari consuetudine in asyndeti enumerativi usu recedit, quod saepius quam ceteri scriptores in nominibus virorum, qui non collegae magistratus eiusdem sunt, enumerandis ‚et‘ omittit. Quod Florus imitatus est: III, 5, 4. ‚Marius, Sulla, Sertorius‘. III, 19, 7. ‚castra Manlii, Lentuli, Pisonis, Hypsaei‘. III, 21, 13. ‚Cinna, Marius, Carbo, Sertorius‘. Tum Tacitus, Livium sequens verborum cumulatione legentium animos allicere studet, quod studium etiam apud Florum conspicuum est: I, 13, 14. ‚igni ferro manibus‘. II, 6, 6. ‚fame machinis ferro‘. II, 18, 15. ‚se, suos, patriam ferro, veneno, subiecto undique igne peregerunt‘. III, 19, 6. ‚castella, vicos, oppida‘ (sed III, 19, 10. variationis gratia ‚vicos, oppida, castella‘) IV, 2, 43. ‚urbis, imperii, generis humani‘. IV, 2, 83. ‚oculis, manibus, clamore‘. IV, 11, 3. ‚patriae, nominis, togae, fascium oblitus‘. — I, 10, 2 ‚sustinuit reppulit‘. IV, 2, 38. ‚provocare lacessere‘ IV, 2, 63. ‚more fulminis, quod uno eodemque momento venit, percussit, abscessit‘.

Transeo ad pronominum et adverbiorum coordinationem, cuius usum Taciteum Florus imitatus est. cfr. Draeg. p. 52. Fl. I, 10, 6. ‚cum hic interritus, ille trepidaret‘. III, 22, 7. ‚his aput Segoviam, illis apud Anam flumen oppressis‘. III, 22, 8. ‚illis — his‘. III, 20, 2. IV, 2, 31. 8, 2. IV, 12, 52. hos — hos — hos. — III, 22, 6. ‚cum hinc Domitius et Thorius, inde Hirtulei proluderent‘. III, 21, 18. IV, 2, 5. (bis) 7, 11. — I, 3, 4. ‚tribus quippe illinc volneratis, hinc duobus occisis‘. II, 8, 5. — II, 2, 16. ‚Olbiae hic, ibi Aleriae urbis excidio‘.

Restat ut nonnulla dicam de parenthesium usu, in quo Florus manifesto a Tacito pendet: II, 1, 2. ‚mirum et incredibile dictu'. II, 8, 15. ‚incredibile dictu' cfr. Tac. an. I, 35: ‚vix credibile dictu'. I, 16, 12. II, 6, 12. III, 5, 16. ‚horribile dictu'. I, 10, 6. ‚inmane dictu'. cfr. Tac. h, IV, 84. ‚mirum dictu'. — I, 1, 12. ‚dubium clipeos an armillas' I, 1, 8. ‚dubium an iussu fratris' IV, 2, 91. ‚dubium an ipso volente'. cfr. Tac. an. I, 5. ‚dubium an quaesita morte'. Saepius Tacitus ita adhibet ‚incertum an', ut an V, 1. VI, 50. XV, 64. Scite Graevius in indice Floriano sub v. dubium de hac formula verba facit: ‚Cum duo contraria, quorum uno proposito alterum non potest ignorari, eloqui volumus, hac phrasi ita utimur, ut alterutrum tantum exprimamus.' Denique unius exempli mentio facienda est, quod Tacitus et Florus sibi soli vindicant: an. I. 39. (cfr. Draeg.) ‚rarum etiam inter hostes'. Fl. I, 3, 5. ‚rarum alias decus'.

IV.

De enuntiatorum subordinatione.

Quod attinet ad **enuntiatorum substantivorum,** quae dicuntur, usum, pauca tantum memoranda sunt. Infinitivi insolentius a verbis pendentis Tacitum secundum argenteae latinitatis morem amantissimum esse, Draeg. p. 56 multis exemplis confirmat. Apud Florum haec leguntur: II, 17, 10. ‚meruerat Celtibericus fieri'. Tac. an. XV, 67. — II, 6, 23. ‚permissum est interim respirare Romanis' Tac. an. IV, 48. — IV, 7, 9. ‚quibus (scl. castris) capi inminebat.' — II, 6, 40. ‚ne in conspectum quidem passus adduci.' — III, 1, 16. ‚alienae cladis accessio fieri timet'.

In oratione obliqua Florus, cum enuntiato secundario aliquam rem accuratius definiat sive describat, Livio et imprimis Tacito praeeuntibus indicativum pro coniunctivo ponit; legitur autem indicativus: a) post ‚dum' IV, 2, 66. ‚ut scilicet iam tum, dum colit terras, ipso nomine et titulo consecraretur.' b) post pronomina relativa: I, 1, 15. ‚consilium rei publicae penes senes esset, qui ex autoritate patres, ob aetatem senatus vocabantur'. I, 5, 3. ‚fierine posset, quod ipse mente conceperat'.

In interrogationibus indirectis, quas vocant, usitatarum particularum munus inde a Livii aetate, maxime autem apud Curtium et Tacitum ‚an' suscipit. Florus hunc usum duobus tantum locis habet: I, 13, 3. ‚scire volentibus inmortalibus dis, an ... mereretur.' IV, 12, 66. ‚tractatum etiam in senatu, an ... vocaretur'. Denique huc pertinet locutio, quae interrogationis indirectae similis est. Tac. h. III, 62. IV, 34. ‚immane quantum', quam videtur Florus imitatus esse IV, 2, 74. ‚plurimum quantum favoris partibus dabat fraternitas ducum'.

De enuntiatis temporalibus. In ‚cum' coniunctionis usu Florus nullis certis legibus obtemperavit: mox indicativum, mox coniunctivum, quin etiam indicativum et coniunctivum promiscue ponit; I, 18, 20 sqq. qui autem ille senatus fuit! cum ... confiterentur. qui porro ipsi duces! cum ... remisit ... repudiavit; vel in pace, cum ... praeferret ... damnaret.' Hoc tamen H. Muellerus in annal. phil. t CIII. p. 565 observasse sibi visus est, Florum indicativum praetulisse iis locis, quibus ‚cum' relativam magis quam temporalem vim haberet; cuius rei exempla affert I, 13, 20. II, 2, 10. 31. 6, 26. 58. III, 5, 7. 17, 9. — Sed valde dubito, num Florus tam acute hunc usum distinxerit; praeterea, ut unius tantum exempli a Muellero allati mentionem faciam II, 6, 26. ‚cum .... petiverunt', paulo ante nullo sensus discrimine ‚cum referrentur' legitur. — ‚cum tamen' vi adversativa Tacitus cum indicativo coniungit, qui usus perpaucis Ciceronis, Vergilii, Livii

exemplis confirmatur. cfr. Fl. I, 13, 15. ,cum tamen deiecit. I, 24, 1. II, 7, 9. 15, 11.

Coniunctivus iterativus praecedente ,ubi' saepe apud Tacitum (cfr. Draeg p. 63), apud Florum II, 2, 10 legitur: ,ubi rediret.'

,dum' causali vi iam apud Ciceronem fungitur sed nonnisi sequente tempore perfecto; praesens primus Ovidius adiunxit, apud Tacitum denique frequentissimum est. cfr. Draeg. s. h. II. p. 607. Exempla Floriana sunt: I, 1, 8. ,cuius dum angustias Remus increpat saltu, occisus est'. II, 6, 5. ,dum prius more legitimo queri malunt.' II, 14, 2. ,dum contemnitur.' III, 6, 2. 11, 2. 6. 12, 2. 21, 6.

,donec' apud Florum nusquam tempus, per quod quid duraverit, (so lange als), sed ubique eam rem, ad quam usque quid duraverit (bis) significat. In modi autem usu Tacitum sequitur, qui coniunctivo imperfecti temporis terminum relative non absolute cum enuntiato primario cohaerere exprimit. cfr. Draeg. s. h. II, p. 614. E Floro huc cadunt: II, 6, 17. ,itaque duo maximi exercitus caesi ad hostium satietatem, donec Annibal diceret' etc. III, 3, 5. ,donec consenesceret'. III, 5, 2. ,d. consumeretur'. III, 21, 5. ,d. deessent'. IV, 9, 6. ,donec adimeret'. — Uno loco Tacitus ,donec' cum indicativo imperfecti coniungit: h. I, 9. ,inferioris Germaniae legiones diutius sine consulari fuere, donec missu Galbae A. Vitellius aderat.' cfr. Fl. I, 7, 10. ,tam diu superbiam regis p. R. perpessus est, donec aderat libido.'[1])

Apud Tacitum nonnullis locis infinitivus historicus a coniunctionibus temporalibus pendet, qui usus uno Sallustii, duobus Livii exemplis probatur. cfr. Draeg. s. h. 571 et 629. Quem

1) Hanc lectionem optimi codicis Bamb. auctoritas satis tnetur. Halmius in illo, quod praecedit, tam diu offendens, e Nazariano ,aberat' edidit. Sed ,aberat' Flori consuetudini contradiceret, quippe apud quem, ut antea dictum est, ,donec' semper ,bis' valeat (cfr. I, 9, 8. 10, 8. 11, 2. II, 6, 17. III, 3, 5. 5, 2. 21, 5. 25. 22, 9. IV, 9. 6). Praeterea I, 10, 8 ,donec' ,bis' significat praecedente ,tam diu'. Itaque non est, cur cod. Bambergensis auctoritatem hoc loco neglegamus.

vero Draeg. e Floro affert locum III, 11, 8. ‚cum ostendere' dubito, num sit huc referendus. Nam IV, 12, 17. ‚ostendere' perfectum est et II, 6, 58 legitur ‚cum direxere'.

De enuntiatis modalibus. In duabus sententiis, quae eundem habent circuitum inter se comparandis Florus his utitur formulis, quae plus minusve etiam in aliorum, imprimis autem Taciti usu sunt. cfr. Draeg. p. 65 sq. a) ‚ut-ita' III, 17, 4. ‚Ut Carthaginem Corinthus, ita Corinthum Numantia secuta est. II, 19, 1. III, 5, 14. 12, 4. IV, 11, 3. b) ‚sicut-ita' III, 12, 4. ‚quippe **sicut** .... uberrimas validissimasque provincias .... ut non in usum, ita ad imperii speciem magna nomina adquisisse pulchrum ac decorum: **ita** eodem tempore dimicasse domi .... turpe atque miserandum.' — c) ‚quemadmodum-sic' II, 8, 1. ‚quemadmodum ab Africa in Achaiam sic ab Achaia in Asiam' etc. II, 15, 13. — d) ‚quomodo-sic' III, 21, 28. ‚quomodo morte damnati duci iubentur, sic damnatam civitatem iussit Sulla deleri'. — e) ‚sic-quasi' quod inde a Ciceronis (ad fam. IX, 16, 2) usque ad Taciti aetatem nullius scriptoris exemplo probatur: Fl. III, 6, 1. ‚sic maria bello quasi tempestate praecluserant' III, 6, 10. 10, 3. 15. 21, 20. IV, 7, 1. 11, 11. — f) ‚perinde-quam' quod Tacitus primus usurpavit. cfr. Her. h. I, 30. Fl. III, 3, 17. ‚perinde speciosa mors earum fuit quam pugna.'

‚nihil aliud quam' aut ‚quid aliud quam' Tacitus praeeunte Livio ita usurpavit, ut verbum agendi aut simile subaudiendum sit; etiam apud Florum legitur: II, 2, 25. ‚quid aliud quam victus de victoribus .... triumphavit'.[1]) III, 23, 3. ‚quid aliud quam ad bellum vocabantur'. cfr. Tac. an. IV, 34. quid aliud dicta-

---

1) Sic cum Naz. legendum censeo, non ut Halmius et Jahnius e Bamb. ediderunt ‚victor de victoribus'. Nam ex Naz. scriptura eximia illa laus, qua scriptor Regulum extollit, magis perspicitur; praeterea, quo modo victor de victoribus triumphare possit, non intellego. Duae enim omnino partes sint necesse est: victores et victi. Victores triumphus decet; sed Regulus Romae rem tam fortiter egregieque gesserat, ut quamquam a Carthaginiensibus victus erat, tamen de iis videretur triumphare.

tor Caesar quam . . . . respondit'. Fl. IV, 2, 80. ,cum diu pari Marte acies nihil amplius quam occiderent'. III, 6, 13. ,nihil tamen amplius, quam ut ad primum ictum concurrerent.'

In ,quasi' particulae usu Floriano imitatio Taciti manifesta est, sive numerum exemplorum respicis sive novam vim causalem, quam Tacitus primus huic voci imposuit. Quo enim magis Tacitus in scribendo procedit, eo saepius hanc coniunctionem usurpat, ita ut in Germania semel, in historiis decies, in annalibus semel et octogies legatur. cfr. Woelfflin. in Phil. t. XXIV, p. 117—122. Apud Florum hanc vocem centies vicies quinquies legi Spengelius in tractatt. acad. scient. Bavar. IX. 1861 p. 340. ostendit. Quod ad modum attinet, Florus plerumque coniunctivum, rarius in brevioribus sententiis pro verbo finito participium aut ablativum absolutum adhibuit. Atque primum quidem ,quasi' falsam speciem sive simulationem significat, qui usus vulgaris est. Tac. h. III, 19. ,quasi debellatum foret.' Fl. IV, 2, 73. quasi numquam esset dimicatum'. I, 6, 2. 10, 8. 17, 6. 18, 12. II, 2, 10. et saepius. — Tum Tacitus nonnullis locis annalium ,quasi' causali vi usurpavit, ita ut idem valeat quod apud Graecos ὡς. cfr. an. XIII, 18. ,undique pecunias quasi in subsidium corripiens' et ,nomina nobilium in honore habere, ... ,quasi quaereret ducem et partes'. ,angeblich weil sie suchte'. Similis usus duobus locis Florianis invenitur: I, 18, 22. ,cum Fabricius decem pondo argenti circa Rufinum consularem virum quasi luxuriam censoria gravitate damnaret.' Decem pondo argenti secundum illius aetates leges luxuria erant itaque Rufinum damnabat; Florus autem, num Fabr. recte iudicaverit, discernere nolens iudicium lectori permittit et ,quasi' ponit. — III, 21, 20. ,tum Marius iuvenis et Carbo consules, quasi desperata victoria, ne inulti perirent, in antecessum sanguine senatus sibi parentabant'. Nobis interpretandum est ,im Gefühle der Verzweiflung.'

Quod pertinet ad **enuntiatorum proportionalium** usum, vix quicquam mentione dignum est, nisi ,prout' quo Cicero, Livius, Seneca raro, Tacitus frequentius utuntur

duobus locis apud Florum legi atque indicativum asciscere: I, 3, 4. ‚prout sequi poterant' II, 17, 5. ‚prout causae lacessierant'.

De enuntiatis consecutivis. Coniunctivus perfecti historici post ‚ut' consecutivum praecedentibus maxime ‚adeo' ‚tam' ‚tantus' apud Ciceronem et Caesarem rarus est; inde a Livii aetate crebrior fit et etiam apud Tacitum satis frequens est. Exprimitur autem hoc coniunctivo rei praeterito tempore peractae vim in praesentiam redundare eaque scribentis animum etiam nunc affici. Saepe etiam scriptores hoc coniunctivo id appetunt, ut legentes diligentius ad rem narratam attendant. Florus haec exempla exhibet: I, 11, 4. ‚ea denique atrocitas proelii fuit, ut interfuisse spectaculo deos fama tradiderit.' I, 12, 1. 18, 7. II, 8, 4. 12, 6. ‚cuius tanta trepidatio fuit, ut omnem pecuniam in mare iusserit mergi' etc. III, 3, 9. 9, 3. IV, 2, 37. 10, 7. 12, 24. 57.

In enuntiatorum causalium usu annotandum est, ‚quatenus' a Floro saepius pro ‚quoniam' adhibitum esse; Taciti et aliorum exempla Draeg. p. 71. affert. I, 5, 2. ‚quatenus . . . prohibebat.' II, 15, 18. III, 8, 1. IV, 11, 1. 12, 22.

In enuntiatorum concessivorum usu Tacitus primus hoc novavit, ut, ‚quamvis' sequente coniunctivo etiam iis locis adhiberet, quibus veram rei rationem significabat. Hoc Florus non uno loco imitatus est: I, 10, 2. ‚quamvis et armis et fame urgueret'. II, 6, 30. ‚quamvis pugnaret'. II, 7, 2. ‚quamvis tum Philippus regno praesideret.' II, 11, 5. ‚quamvis . . . . se recepissent'. III, 19, 12. ‚quamvis . . . . venerit.' IV, 2, 36. 7, 10. 9, 1. cfr. Tac. an. I, 68. ‚quamvis plus vulnerum . . . . fatigaret' et alia plura exempla, quae Draeg. s. h. II, p. 769. enumerat.

De enuntiatis condicionalibus. In nonnullis enuntiatis condicionalibus quorum in protasi coniunctivus aut imperfecti aut plusquamperfecti adhibitus est, in apodosi pro

coniunctivo legitur indicativus imperfecti aut perfecti aut plusquamperfecti, qui quidem indicativus apud omnes fere scriptores observatur, cum is ipsa apodosis eiusque praedicati proprietate — ut in verbis facultatis necessitatis similibus — postuletur secundum latinae linguae consuetudinem. Imperfecti indicativus legitur III, 21, 12. ‚poterat videri iure agere, nisi... corrumperet.‘ IV, 9, 5. ‚emanabat latius malum, nisi Ventidius cecidisset‘. — Plusquamperfecti ind. legitur: II, 17, 6. ‚raptaque erat impetu Hispania, nisi fortissimi viri .... cecidissent.‘ II, 6, 50. III, 3, 5. IV, 2, 19. 3, 2. 10, 4. 12, 22. — Perfecti ind. legitur: II, 2, 17. ‚in quem nisi paruisset securi destricta imperator ... fecit audaciam‘. III, 21, 17. ‚quid futurum fuit, si .... implesset‘. IV, 3, 4. ‚non potuit, nisi confugisset.‘ Tacitus in eiusmodi enuntiatis tantum verba facultatis aut voluntatis aut adverbio prope coniuncta in indicativo perfecti usurpat. cfr. Draeg. p. 73. Quod si eiusmodi sententia in orationem indirectam mutatur, pro indicativo perfecti, ut par est, coniunctivus substituendus est: II, 6, 9. ‚dubium deinde non erit, quin ultimum illum diem habitura fuerit Roma quintumque intra diem epulari Annibal in Capitolio potuerit, si .... Annibal .... uti victoria scisset‘. Tac. h. I, 26 ‚dissimulatio fuit, ut ... rapturi fuerint, ni ... timuissent.‘ Hunc usum Livius magnopere adamavit.

Deinde dicendum est de eiusmodi sententiis, quarum protasi aliquid exspectationis sive dubitationis significetur, ita ut, nobis interpretandum sit ‚für den Fall dass‘. Aurea aetate eiusmodi enuntiata frequentia (cfr. Draeg. s. h. II, p. 737 seq.) apud posteriores scriptores rariora sunt, Tacitus tamen ea frequentavit. Florus exhibet II, 18, 12. ‚dedere etiam se volebant, si toleranda viris imperarentur.‘ III, 5, 2. ‚Arabes, si quid imperaret, praesto fuere‘. IV, 2, 15. ‚nec ille abnuebat, si ratio sui .... haberetur.‘

Restat, ut disseram de iis sententiis condicionalibus, quarum structura a participio fut. activi dependet. cfr. Draeg. p. 74. Florus verbum substantivum apud participium omittit:

III, 20, 9. ‚quasi plane expiaturus omne praeteritum dedecus, si . . . fecisset'. II, 2, 57. ‚haud dubio idem in ipsum ausurus, si fuisset occasio.'

Denique Draeg. huc refert locutionem ‚nisi quod', qua Tacitus brevitatis causa saepius usus est, quam priores scriptores, cuiusque usum Wexius Agr. 6 his verbis illustrat: ‚nisi quod' dicunt Latini, cum limitant pronuntiatam aliquam sententiam, ita ut quod universe et absolute enuntiatum est, exceptionem aliquam habere et aliquatenus restringendum esse adiiciant.' Exempla apud Florum haec exstant: praef. §. 8. . . . haud multo minus anni ducenti, quibus inertia Caesarum quasi consenuit adque decoxit, nisi quod sub Traiano principe movit lacertos' etc. I, 19, 1. ‚Omnis mox Italia pacem habuit, nisi quod ultro persequi socios hostium placuit.' I, 22, 3. II, 6, 34. IV, 2, 66. IV, 8, 7.

V.

De gerundio et participio.

Ablativi gerundii cum accusativo obiecti coniuncti usus inde a Livii aetate observatur; apud Tacitum satis frequens est, sed Florus unum tantum exemplum exhibet; IV, 5, 2. ‚depulsos agris colonos incitando.'

Saepissime Tacitus ut orationem brevem et illustrem efficeret, participia cum nominibus coniuncta substantivorum abstractorum loco ponit. Qua in re maxime sequitur Livium atque hoc etiam ab illo mutuatus est, ut in praedicato substantivum abstractum exstet. (cfr. Draeg. s. h II, p. 782). an. I, 8 ‚cum occisus dictator Caesar aliis pessimum, aliis pulcherrimum facinus videretur.' Similia exempla etiam apud Flor. leguntur: II, 2, 11. ‚leve damnum fuit alter consulum interceptus Asina

Cornelius, qui simulato conloquio evocatus atque ita oppressus, fuit perfidiae Punicae documentum'. II, 6, 2. ,urebat nobilem populum mare ablatum, raptae insulae' etc. III, 12, 9. ,hinc Drusus et promissa civitas Latio'. 6, 2. ,inultus pater'. Cum praepositionibus participium coniunctum est: I, 13, 19. ,post adsertam a Manlio, restitutam a Camillo urbem.' II, 6, 5. ,ad auditum obsidium. IV, 2, 9. ,ob inminutum triumphum'. Simili ratione part. praes. usurpatum est. II, 3, 1. ,argumentum cessantium armorum'. II, 6, 14. ,aquilae prodire nolentes.' cfr. Tac. an. IV, 12. ,mater Agrippina spem male tegens.'

Uno loco Florus more Taciteo (cfr. Draeg. s. h. II, p. 790.) insolentius in ablativi absoluti usu substantivum omittit: IV, 1, 10. ,de supplicio agentibus Caesar parcendum dignitati, Cato animadvertendum pro scelere censebant.'

Taciti proprii sunt ablativi absoluti verborum sequendi et audendi. cfr. Draeg. p. 81. Etiam hanc rem Florus imitatus est: II, 6, 42. ,parte Flaccum in urbem secuta' IV, 1, 11. ,quam sententiam secutis omnibus' IV, 12, 7. ,agmine secuto'. IV, 2, 68. ,adsecutis hostibus'. IV, 2, 72. ,secutaque vi sanguinis'. III, 15, 4. ,obrogare auso legibus suis Minucio tribuno.' His accedit: IV, 12, 28. ,defuncto ibi fortissimo iuveni.' cfr. Tac. an. I, 3. ,defuncto Marcello.'

Restat ut dicam de coniunctionibus participiis adhaerentibus, de quibus Draeg. p. 82 agit. cfr. Fl. III, 5, 5. ,quasi captato tempore' 20, 9. IV, 11, 1. — III, 5, 24. ,quamquam omnia expertus'. — III, 10, 4. ,quippe pro libertate pugnantium'. — ,quamvis' cum participio coniuncti usus Taciti proprius est: h. I, 5. ,quamvis capite defectionis ablato'. an. I, 6. ,quamvis firmatus animo centurio'. Sic legitur ,quamvis' etiam apud Florum I, 6, 1. ,quamvis matre serva creatum'. II, 15, 12. ,quamvis profligato urbis excidio'. III, 1, 18. ,qu. victus ac vinctus'. 10, 2. ,qu. toto orbe divisi, tamen etc.' IV, 1, 11.

Pars altera.

I.

De collocatione vocabulorum.

In vocabulorum collocatione magna cernitur stili Taciteі proprietas. Nam vulgaris moris taedio captus vocabulis novam quandam vim additurus, quo magis legentium animos in se converterent, iis insolitum in enuntiato locum assignavit. Qua in re quid Florus a Tacito repetierit, singula vocabulorum genera percensentes ostendemus.

Saepe Tacitus cognomen ante nomen posuit ut an. I, 8. ‚Gallus Asinius' et quae sunt similia, hancque collocationem argentea aetate magis magisque in usum receptam esse, Mommsenius Roem. Forschungen I, p. 41. docet. E Floro huc pertinent: I, 3, 1. ‚Pompilius Numa' II, 2, 11. ‚Asina Cornelius' III, 6, 10. ‚Varro Terentius'. IV, 22, 31. ‚Varus Quintilius' (Tac. an. II, 45. IV, 66.) — I, 1, 11. II, 4, 5. Feretrius Juppiter'. I, 1, 13. ‚Stator Juppiter (Tac. an. XV, 41.) — II, 3, 2. ‚Insubres Galli' sed ordine inverso II, 4, 1.

Genitivus nonnullis locis insolentius postpositus est: ‚consulto senatus' III, 21, 7. 8. Tac. an. XI. 35. Antepositus genitivus est: ‚equitum magister' I, 11, 3.

In tituli collocatione Florus certis legibus non obtemperat eique saepius priorem locum tribuit, rarius vulgarem consuetudinem retinet. cfr. Draeg. p. 85. Anteponit autem: ‚imperator' II, 6, 13. 8, 6. ‚rex' praef. §. 1. I, 1, 11. 18, 14. II, 7, 2. 8, 1. IV, 2, 65. 12, 43. ‚consul.' II, 21, 7. ‚dux' 1, 16, 10. 21, 1. 25. II, 6, 55. 8, 12. IV, 12, 32.

Praeterea Tacitus licentius quam ceteri scriptores substantivum et attributum aliis sententiae partibus disiungit, qua in re Florum habet imitatorem. cfr. Draeg. p. 86. Fl. I, 1, 11. ‚Caeninensium captum ac direptum est oppidum'. II, 15, 5. ‚ne metu ablato aemulae luxuriari felicitas urbis inciperet'. III, 5, 16. ‚fiduciam oppidanis resistendi nuntius fecit.' III, 6, 14. ‚a conspectu longe removit maris.' III, 20, 10. ‚consularem quoque adgressus in Appenino Lentuli exeritum'. IV, 4, 1. 10, 6.

In adiectivis collocandis Tacitus longissime a ceterorum scriptorum more recessit. Nam cum ii collocationem vulgarem communique usu tritam usurpantes adiectiva, ut ita dicam, sua vi ac vigore privassent, Tacitus adiectivis novam quandam sublimitatem et gravitatem redditurus ea, quae antehac priorem obtinuerant locum, posteriori, quae vero posteriorem sibi vindicaverant locum, priori assignavit. cfr. G. Andresen. ‚de vocabulorum apud Tacitum collocatione'. Programm des Berlinischen Gymnasiums zum grauen Kloster 1874. Nobis, qua ratione Florus Tacitum secutus sit, reliquum erit demonstrare. Ac primum quidem Florus more Taciteo adiectiva a nominibus propriis derivata priore loco ponit: ‚Pomptino agro' I, 13, 20. Tac. an. XV, 42. ‚Punicum bellum' II, 3, 1. 6, 1. Tac. an. IV, 56. ‚Alpina corpora' II, 4, 2. ‚Adriaticum mare' III, 4, 1. Tac. an. II, 53. ‚Asiaticum bellum' II, 20, 7. hereditas III, 12, 3. ‚Mithridatica provincia' III, 6, 7. ‚Creticum bellum' III, 7, 1. ‚Tiberinum ostium' III, 9, 5. ‚Sullana tempestas' III, 12, 12. IV, 2, 2. proscriptio III, 22, 1. ‚Gracchanae leges' III, 16, 1. 17, 6. ‚Sulpicia lex' III, 21, 6. ‚Esquilina Collinaque porta' Tac. h. III, 82. ‚Sibyllini versus' IV, 1, 8. ‚Mariana Cinnanaque rabies.' IV, 2, 2. ‚Italicus sanguis' IV, 2, 5. ‚Pontici et Armenii triumphi.' IV, 2, 8. Tac. an. VI, 45. ‚Pompeiana dignitas' IV, 2, 14. 65. 8, 5 ‚Philippici campi' IV, 2, 43. ‚Philippenses campi' Tac. an. IV, 35. ‚Thessalicum incendium' IV, 2, 53. ‚Iulia gens' IV, 4, 3. Tac.h. II. 95. ‚Siculum fretum' IV, 8, 7. Tac. an. I, 53. ‚Numantini quam Caudini illius foederis' II, 18, 7. Tac. an. XV, 13. ‚Illy-

rica et Africa ora' IV, 2, 30. Tac. an. I, 3. Haec sufficiant, quamquam exemplorum copia nondum exhausta est. Multo rariora sunt exempla usitati a prioribus scriptoribus ordinis, ad quem Tacitus in fine annalium rediit: ,clades Crassiana IV, 10, 4. 12, 64. ,litus Actiacum' IV, 11, 4. et alia exempla quae afferre supersedeo. — Adiectivum, quod est ,Romanus' posteriore plerumque loco apud utrumque scriptorem legitur; neque tamen prorsus abstinere potuerunt, quin nonnullis locis ordinem ab omnibus fere scriptoribus observatum inverterent. Sic ubique fere legitur ,Romanum nomen' apud Tacitum h. III, 45. VI. 13. V, 16. an. I, 43. II, 5, 5. contra an. IV, 24. cfr. Fl. I, 10, 3. ,Romana urbs' Tac. an. XVI, 28. Fl. I, 13, 21. ,Romanus dux Agr. 15. Fl. III, 22, 3. cfr. I, 8, 6. II, 4, 5 III, 22, 9. IV, 11, 2. — Transeo ad adiectiva, quae ad ordines et magistratus rei publicae pertinent: ,censoria gravitas' Tac. h. I, 47. Fl. III. 13, 1. ,tribunica seditio' II, 19, 2. ,consularia comitia' III, 16, 3. ,praetorii duces' III, 19, 7. ,praetoria navis' IV, 8, 9. Tac. h. V, 22. ,equester ordo' III, 21, 25. Tac. an. II, 83. ,triumphalis agricola' I, 11, 14. Tac. h. I, 79. ,patricius exercitus' I, 12, 2. ,patricius vir' I, 11, 13. ,p. sanguis' I, 26, 2. — In simili conditione versantur adiectiva, quae ad rem militarem pertinent: ,nauticae artes' II, 2, 8. ,n. populus' II, 7. 8. Tac. Agr. 25. ,navale bellum' I, 11, 10. III, 10, 5. Tac. h. V, 15. ,sociale bellum' III, 18, 1. Tac. an. XII, 31. — Sequuntur adiectiva, ,militaris' et ,civilis': ,militaris disciplina'. I, 3, 1. Tac. an. I, 32. ,civile bellum' III, 18, 1. 23, 1. 8. IV, 2, 18. 55. Hac collocatione Tacitus et Florus maximum et inveteratum bellorum civilium odium videntur indicare; tritum illud ,bellum civile' prorsus fere aspernati sunt. ,c. conspiratio' IV, 1, 9. ,c. sanguis' IV, 2, 95. ,c. motus' IV, 4, 1. ,c. motus' IV, 4, 1. ,c. insania' III, 21, 18. ,c. discordiae' IV, 9, 3. Tac. h. III, 57. Alia novae collocationis exempla sunt: ,publica fides' III, 1, 8. ,privatum bellum' I, 12, 1. Tac. Agr. 39. ,humani cibi' III, 5, 10. ,h. hostiae' I, 16, 7. ,h. genus' IV, 3, 8. Tac. an. XV, 44. ,divino apparatu' III, 6, 7. ,servile bellum' III, 19, 2. ,s. inscriptio'

III, 19, 8. ,s. arma' III, 20, 4. ,s. fuga' III, 21, 8. Tac. an. IV, 27. ,regia forma' ,r. nomen' II, 14, 3. Tac. an. II, 4. ,r. iuvenis' IV, 9, 4. ,r. furor' I, 24, 1. ,patrium solum' II, 6, 35. Tac. an. IV, 4. ,agrariae leges' III, 3, 3. ,agrariis, frumentariis iudiciariisque legibus III, 13, 1. Tac. an. II, 32. ,gladiatorium munus' III, 3, 20. Tac. an. IV, 63. ,speculatorium navigium' IV, 2, 37. ,curules sellae'. I, 13, 10.

Neque solum Tacitus vulgarem adiectivi collocationem ita mutavit, ut adiectivum ante substantivum poneret, sed etiam multis locis adiectivo a prioribus scriptoribus anteposito posteriorem locum tribuit. Cuius rei exempla haec apud Florum exstant: ,urbe in una' III, 17, 5. Tac. an. XIII, 44. ,res alia' III, 12, 7. Tac. an. XIV, 58. ,orbe toto' II, 17, 1. 2. III, 12, 1. ,Samnium totum' II, 6, 28. ,Asiae totius' III, 5, 3. ,urbe tota' IV, 1, 8. Tac. h. II, 93. ,gens omnis' III, 10, 4. ,furor omnis' II, 2, 13. ,pecuniam omnem II, 12, 6. Tac. an. II, 46. ,expeditio tanta' II, 2, 14. ,in urbe media' III, 21, 1. Tac. h. II, 35. — Sed haec hactenus; de adiectivi collocatione fusius disputatum est, ut satis constaret, novum Taciti usum Floro magnopere arrisisse; illud quidem negari non potest, etiam apud eos, qui ante Tacitum viguerunt, scriptores similem collocationem singillatim inveniri; sed memo eam tanta industria tamque frequenter usurpavit, quam Tacitus.

Venio iam ad verbi collocationem paucissimis eam quidem verbis absolvendam, de cuius usu Taciteo G. Andresenius l. c. verba facit. De Floro haec dicenda sunt: Verbum Florus ut ei maiorem vim addat, saepius in initio enuntiati ponit, ita ut subiectum finem plerumque enuntiati occupet: I, 18, 3. ,inminet portui ad prospectum maris positum theatrum.' Hoc loco praedicato anteposito efficitur, ut theatri situs plane oculis nostris subiciatur. II, 6, 6. ,urebat nobilem populum mare ablatum' etc. II, 15, 14. ,operti portus, nudatus et primus et sequens, iam et tertius murus' cfr. Tac. h. I, 80. ,rapta arma, nudati gladii'. Sed huic usui non multum tribuendum est, cum non solum apud Tacitum, sed etiam apud alios scriptores fre-

quens sit; gravius est, quod Florus more Taciteo verbis quae sunt, accedere', ,addere', ,adesse', ,augere' omnibus fere locis priorem locum tribuit, sive summam sententiae in se continent sive transitum ad ea quae sequuntur, parant: I, 18, 5. ,aderat sine mora querellam ferens legatio' II, 2, 34. ,aderat quippe commeatibus' III, 7, 8. ,aderat sponte in auxilium Attalus rex Pergamenorum, aderant Rhodii nauticus populus' I, 13, 14. II, 9, 3. III, 9, 1. IV, 2, 56. cfr. Tac. an. XVI, 26. ,aderat consilio Rusticus Arulenus'. h. II, 14. ,aderant legati coloniarum auxilium orantes.' II, 40. ,aderat sane citus equo Numida.' — Fl. IV, 2, 65. ,auxerat sacramentum ipsa clades imperatoris.' Tac. an. I, 30. ,auxerat militum curas praematura hiems'. I, 36. II, 41. — Transitum ad ea quae sequuntur efficiunt ,addere' et ,accedere': IV, 1, 4. ,additum est pignus coniurationis sanguis humanus.' Tac. h. II, 14. ,additus perculsis terror.' — Fl. II, 12, 4. ,accessit his consilium ducis.' IV, 2, 65. ,accessit copiis Mauretaniae rex Juba.' Tac. h. I, 5. ,accessit Galbae vox.' II, 43. IV, 70.

Ablativi absoluti et gerundii usus Florus eam rationem sequitur, ut aeque ac Tacitus verbum longe plurimis locis ante substantivum collocet, cuius rei exempla cum in quavis pagina legantur, afferre omitto. Rarissime pro exemplorum numero Tacitus et Florus verbum post substantivum collocant et iis quidem potissimum locis, quibus subiecto maior vis adsit aut nomine numerali contineatur. cfr. Fl. II, 2, 2. ,deo quodam incitante.' I, 3, 4. ,tribus quippe illinc volneratis, hinc duobus occisis.' IV, 12, 24. I, 12, 7. ,ad terrorem movendum.' II, 6, 47. ,ad magnanimitatem probandam.' — Denique memorandum est, apud Florum aeque atque apud Tacitum, cum duo adiectiva aut verba ad idem nomen pertinent, hoc medium plerumque locum obtinere. cfr. II, 2, 4. ,ille pastorius populus vereque terrester.' II, 6, 3. ,vetus Hispaniae civitas et opulenta. III, 1, 12. ,exutum regem et fugitivum. Tac. an XIV, 15. ,maerens Brutus et laudans.'

Praepositionum, quam dicunt, anastrophen apud Tacitum frequentem etiam Florus adhibuit, ita ut praepositionem inter duo substantiva coordinata aut inter substantivum et attributum vel appositionem collocaret: III, 6, 3. ‚Cretam inter adque Cyrenam'. III, 10, 2. ‚Rhodanum inter et Rhenum'. Tac. an. IV, 50. ‚Tarsam inter et Turesim.' II, 8, 15. ‚Maeandrum ad amnem.' Tac. an. XV, 53. ‚Ferentino in oppido.' III, 17, 5. ‚urbe in una.' Tac. an. XIV, 53. ‚urbe in ipsa.' Denique Florus praepositionem substantivo simplici postposuit: praef. §. 1. ‚aetatem ultra.' Tac. an. I, 65. ‚humentia ultra.'

Idem dicendum est de coniunctionum et adverbiorum anastrophe: ‚quippe' secundum locum obtinet: I, 1, 10. 18, 9. II, 2, 34. 5, 3. 6, 39. 9, 1. ‚ut' tertio loco legitur IV, 12, 53. ‚itaque' secundum locum sibi vindicat II, 11, 5. III, 7, 2. Frequentiora sunt adverbia secundo loco collocata: ‚deinde' I, 16, 1. 18, 9. II, 15, 10. III, 1, 5. 2, 4. 7, 4. Nonnullis locis (h. 1, 59. an. III, 56. VI, 29.) Tacitus ‚deinde' inter praenomen et nomen ponit, quod Florus I, 4, 1. ‚Ancus deinde Marcius' imitatus est. — ‚mox' secundum Woelfflini observationem (cfr. Her. h. I, 72.) saepissime inter adiectivum et substantivum collocatur, nusquam autem substantivo ad quod pertinet, postponitur. Idem ad Florum quadrat: I, 19, 1. ‚omnis mox Italia.' IV, 12, 59. ‚certa mox fides'. — ‚postea' secundum locum obtinet I, 5, 4. ‚simul' III, 5, 5. ‚contra' IV, 2, 17. ‚tamen' quarto loco legitur IV, 2, 94. ‚venit in curiam tamen'. — ‚quoque' alium locum obtinet, quam quem postulat I, 7, 5. ‚tum quoque cruentus in suos'; pertinet autem ‚quoque' ad ‚in suos'. cfr. Tac. an. XIII, 6. ‚tum quoque bellum deseruerat'.

II.

De orationis variatione.

Boetticherus in lexico Taciteo de stili Tacitei proprietate verba faciens potissimum varietatis[1]), brevitatis et poeticae indolis mentionem facit; itaque etiam nobis, quae e Floro huc erui possint, investiganda sunt.

Quae igitur pertinent ad orationis variationem, haud ita multa sunt, quae mentione digna videantur. Atque primum quidem Florus orationis variandae studio ductus intra enuntiata singulorum membrorum concinnitatem aeque ac Tacitus violat. cfr. Draeg. p. 92. Ita inter se permutantur: a) casus: I, 16, 3. ‚Omnium non modo Italiae, sed toto orbe terrarum pulcherrima Campaniae plaga est.' — b) ablativus et participium: IV, 2, 79. ‚sive respectu fragilitatis humanae, sive nimiam prosperorum suspectam habens continuationem.' — c) activum et passivum: IV, 6, 5. ‚cum recisum Ciceronis caput in illis suis rostris videret nec aliter ad videndum eum, quam solebat ad audiendum, concurreretur'. — d) personae verbi: II, 2, 13. ‚trepidatum est, sed . . . . evasimus'. — e) substantivum et infinitivus: IV, 2, 78. ‚plurimum quantum favoris dabat fraternitas ducum et pro uno duos stare Pompeios'. — f) genitivus et adiectivum: II, 12, 3. ‚ferociam Thracum disciplina Macedonica temperavere.' II, 14, 4. IV, 9, 7. — g) substantivum et genitivus gerundii: III, 12, 13. ‚principatus et dominandi cupido'.

Deinde Florus modo nomen gentis, modo terrae nomen adhibet: I, 9, 7. ‚inter Latium adque Etruscos.' III, 1, 12. ‚per Mauros adque Gaetuliam'. III, 12, 4. 18, 6.

Tum Florus praepositiones variat. cfr. Draeg. p. 40. I, 11, 5. ‚Hactenus pro libertate, mox de finibus . . . . pug-

---

1) Woelfflinus in Phil. tom. XXV. p. 121 rectius variationem quam varietatem dici suo iure confirmat.

natum est.' III, 11, 4. ,in septentrione, ad orientem'. Praeterea praepositiones a casibus excipiuntur: I, 6, 3. ,relatus in censum, digestus in classes, decuriis adque collegiis distributus'. I, 16, 11. ,ut nec amici forent beneficio et post flagitium hostes magis. IV, 11, 7. ,nec ulla re magis . . . quam post victoriam.'

De particularum denique variatione p. 24. dictum est.

Ac quoniam de orationis variatione dictum est in mentionem incidi nonnullorum aliorum exemplorum, quae, quamquam ad grammaticam formalem pertinent, tamen hoc loco non praetermittenda sunt; dico autem varias eiusdem vocabuli formas, de quarum usu Taciteo Woelfflinus in Phil. t. XXV. p. 102 sqq. agit Sic Florus II, 6, 36 ,rursum' habet, reliquis locis ,rursus'. — ,adversum' II, 17, 3. alias adversus. — vincla III, 10, 18. (Naz. ,vincula' exhibet) alias ,vinculum'. — ,deprensa' II, 12, 7. ,deprendit' II, 17, 12. (Naz. ,deprehendit' habet.) Sed. I, 11, 13. ,deprehendit'.

III.

De orationis brevitate.

Floro propositum erat, res a Romanis pace belloque gestas presse et strictim enarrare. cfr. praef. §. 3. ,in brevi quasi tabella totam eius (scl. populi Romani) imaginem amplectar'. Neque tamen Florus hoc consilium ita exsecutus est, ut res tantum maioris momenti memoratuque dignissimas narraret, immo consilium suum plane neglegens etiam res leviores fabularumque decore exornatas tradidit, eo tantum consilio, ut studium et favorem legentium captaret. Sed cum Taciti libros perlegisset, eum fugere non potuit, Tacitum in rebus enarrandis eximiae cuidam brevitati studere: hanc brevitatem Florus imitatus est iis locis, quibus ad veri historici munus rediens res gestas simpliciter narrat eaque vere se praebet Taciti imi-

tatorem. De multis rebus huc pertinentibus in priore parte disputavimus, ut de ellipsi verbi substantivi, qua nihil est apud Tacitum et Florum frequentius (pag. 14), de verbis agendi et movendi omissis (pag. 15), de asyndeto (pag. 26) et quae sunt similia. Restat, ut nonnullis aliis exemplis rem comprobem. Atque primum quidem Florus more Taciteo attributa omisso substantivo usurpat: ‚curulis‘ scl. sella I, 5, 6. 13, 14. IV, 2, 95. Tac. h. II, 59. (Plin. min. Suet.) ‚rubrum‘ ‚Caspium‘ scl. mare III, 5, 31. (Verg. Prop. Catull. Vell.) ‚opima‘ scl. spolia II, 17, 11. (Plin. min. Sen.) ‚Collina‘ scl. porta III, 21, 24. Praeterea hi loci memorandi sunt: ‚Lavinium patris Aeneae‘ scl. urbem I, 1, 4. ‚apud Heracleam Campaniae‘, scl. urbem I, 18, 7. ‚Fabius Ambustus duarum (scl. filiarum) pater‘ I, 26, 2. ‚Libanum Syriae scl. montem III, 5, 29. ‚circa Gergoviam Arvernorum‘ III, 10, 24. ‚Maharbal Bomilcaris‘ scl. filius, cfr. Tac. an. XII, 1. ‚Lolliam Paulinam M. Lollii consularis.‘

Multo autem magis quam ea, quae adhuc attuli, exempla Florum imitationis Taciti arguit participiorum et ablativorum absolutorum frequentia. Atque Draeg. p. 98 participia apud Tacitum multo frequentiora esse quam apud Caesarem, Sallustium, Livium his scriptoribus inter se comparatis ostendit; Flori quidem oratio non ubique eodem tenore fluit, sed modo res fabulosae uberius narrantur, modo res vere gestae brevissime explanantur. Maxime autem Florus participorum frequentatione paucissimis verbis quam plurimas res amplecti studet, quam rem exemplis illustrare in promptu est: I, 7, 2. ‚hic regnum avitum, quod a Servio tenebatur, rapere maluit quam exspectare, missisque in eum percussoribus scelere partam potestatem non melius egit quam adquisiverat. I, 11, 13. ‚medium erat tempus forte sementis, cum patricium virum innixum aratro suo lictor in ipso opere deprehendit. inde in aciem profectus victos . . . sub iugum misit. sic expeditione finita rediit etc.‘ I, 13, 14. ‚ibi sedentes in curulibus suis praetextatos senes velut deos geniosque venerati, mox eosdem . . . adlocuti nihil respondere dignantes, . . . mactant etc.‘ II, 8. 11. ‚tum

praecipitem aput Thermopylas adsecutus . . . ne ibi quidem fiducia loci resistentem mari ac terra cedere coegit'. cfr. I, 3, 4. 13, 17. 24, 3. III, 5, 22. 10, 4. 16, 6. IV, 2, 60. 71 seq. 12, 16. 38. 50 et alia sexcenta.

IV.

De poetica orationis indole.

Quod attinet ad poeticum orationis colorem Tacitus et Florus multa communia habent. Sed tantum abest, ut dicam Florum omnia eiusmodi exempla a Tacito mutuatum esse, ut affirmem, utriusque scriptoris in hac re similitudinem ad poetarum et in his imprimis Vergilii et Lucani imitationem revocandam esse. cfr. Woelfflin. in Phil. t. XXVI. p. 130 seq. Draeg. p. 118. sq. Jahnii praef. p. XLVII. Eugenium Westerburgium in mus. rhen. tom. XXXVII. p. 35—49. Attamen cum Tacitus omnibus rebus e poetis ascitis suum ipse ingenium impresserit, negari non potest, poeticam Taciti dictionem Floro magnopere arrisisse et ita nonnulla ex illa in Flori orationem influxisse. Quam quidem rem paucis exemplis illustrabimus. Atque primum quidem Florus aeque ac Tacitus (cfr. Draeg. p. 114.) res inanimas tanquam personas inducit, ita ut iis tribuat, quae animatis proprie conveniunt. II, 2, 27. ,reverso in Siciliam bello' II, 12, 5. ,subita belli inruptione'. IV, 11, 7. ,venienti bello'. cfr. Tac. Germ. 1. ,b. aperuit" an. III, 74. ,resurgeret bellum'. — III, 17, 9. ,cum inparem Drusum . . . . matura . . . . mors abstulit.' Tac. an. II, 51. ,quem mors abstulerat'. — II, 15, 5. ,ne luxuriari felicitas urbis inciperet.' cfr. Tac. h. III, 49. ,fortuna imperii transiit.' — III, 21, 9. ,resurrexit incendium'. cfr. Tac. an. XV, 38. ,incendium assurgens.' Haec exempla sufficiant; venio ad translationis usum,

cuius Tacitus amantissimus est. cfr. Draeg. p. 103 sqq. Etiam exempla, quae Florus habet, tam frequentia sunt, ut eum nomen suum ab oratione poeticis artificiis exornata omnique genere florum referta duxisse diceres; itaque ea tantum afferre satis habebo, quibus aliqua cum Tacito similitudo conspicua est: ‚abrumpere' praef. §. 3. ‚aciem intentionis abrumpit.' II, 2, 1. ‚ignis abrumpitur'. Tac. h. IV, 60. ‚fidem abrumperent.' — Verba accendendi, ardendi, flagrandi translate ab omnibus fere scriptoribus usurpantur; cfr. tamen III, 18, 4. ‚socios in arma et expugnationem urbis accendit.' Tac. an. I, 53. ‚odiis in maritum accendit.' Alia exempla Floriana exstant I, 25. (Tac. h. II, 27.) II, 18, 7. III, 5, 3. 22. IV, 2, 37. — ‚fax': ‚fax iuventutis' I, 1, 5. ‚belli' II, 9, 1. ‚certaminum' III, 14, 1. ‚motus' III, 23, 1. ‚saeculi' IV, 3, 2. Tac. h. I, 24. ‚faces addere'. h. II, 86. ‚acerrimam bello facem praetulit.' Haec imago etiam apud Ciceronem frequens est. — ‚fluere': IV, 12, 65. ‚fluens in luxum saeculum' cfr. Tac. h. IV, 36. ‚effusi in luxum' an. XI, 9. ‚cuncta in Mithridatem fluxere'. — ‚haurire': III, 11, 4. ‚rapta subitis signa turbinibus hausit Euphrates.' Tac. h. V, 15. ‚cum praealtis paludibus arma equi haurirentur.' Hanc imaginem Livio deberi Wiedemannus l. c. p. 343. ostendit. — ‚induere' I, 11, 9. ‚Africam aut Numantiam nomini indueret'. Tac. an. XII, 40. ‚hostilia induerat'. — ‚exuere' I, 16, 11. ‚armis exutus', III, 1, 12. 3, 4. IV, 4, 5. Tac. an. XII, 45. ‚exutum campis Mithridatem.' — ‚moles': ‚moles belli II, 6, 49. III, 10, 24. cfr. Tac. h. I, 61. II, 16. 74. ‚m. certaminum' II, 17, 13. ‚tota denique regni sui mole' III, 5, 14. Tac. an. VI, 36. ‚tota mole regni' h. e ‚omnibus viribus'. — ‚nectere moras' IV, 2, 42. Tac. h. III, 52. IV, 68. an. XII, 14. — ‚pandere': II, 2, 3. ‚viam pandentibus fatis.' Tac. h. II, 4. ‚pandi viam'. — ‚permiscere': III, 22, 2. ‚malis suis maria terrasque permiscuit'. cfr. I, 18, 13. Tac. an. XVI, 34. ‚pericula sua miscere cum sorte damnati'. — ‚tremor terrae' II, 6, 14. Tac. an. XIV, 67; sed paulo post Florus habet ‚horror terrae' pro terrae motu. — ‚tumidus': IV, 12, 2. ‚tumi-

dae gentium inflataeque cervices'. Tac. dial. 18. ,(Cicero) inflatus et tumens'. an. IV, 12. ,tumidos spiritus.' — ,turbo': II, 6, 10. ,primi impetus turbo'. III, 5, 5. 21, 8. Tac. h. III, 10. ,turbine quodam ad exitium poscebatur'. De verbis simplicibus more poetico pro compositis usurpatis p. 13. disputatum est.

V.

De rhetorica orationis indole.

Supervacaneum videri potest, Taciti et Flori rhetoricam indolem inter se comparare cum uterque eruditionis rhetoricae indicia prae se ferat; sed si in hanc rem diligentius inquiras, etiam, quod ad rhetoricam indolem orationis spectat, in Floro Taciti vestigia agnosces. Sic nonnullae locutiones, quibus quaedam orationis amplificatio inest, utrique scriptori communes sunt: ,causa et initium'. h. II, 52 Fl. III, 21, 6. Liv. IV, 9, 2. ,memoria et recordatio' dial. 1. Fl. II, 12, 2. ,pax et quies', Tac. h. IV, 1. Fl. I, 18, 25. III, 21, 10. ,rabies et furor' h. I, 63. Fl. II, 19, 4. ,flammis ferroque' an. I, 51. Fl. III, 18, 14. ,rudis et informis' dial. 18, an. XII, 35. Fl. III, 20, 5. ,sanctius et reverentius' Germ. 34. Fl. IV, 12, 66. ,pulcher ac decorus' Agr. 33. Fl. III, 12, 4. ,socius amicusque' an. XV, 5. Fl. III, 21, 28. ,novus et recens' h. IV, 65. ,integer ac recens'. Fl. III, 1, 13.

Hendiadys figura, cuius exempla aeque atque ea de quibus modo disputavi, in prioribus Taciti scriptis crebriora sunt, quam in annalibus, eo magis in Floro mihi investiganda erat, cum apud eos, qui post Tacitum fuerunt scriptores nondum explorata sit. cfr. Draeg. s. h. II, p. 21. Apud Florum certis legibus discerni non potest, utrum priori an posteriori nomini maiorem vim addiderit. Legitur autem haec figura: I, 13, 14. ,clamore

et impetu' cfr. Tac. an. I, 68. — II, 3, 4. ,locis et fuga' h. e. fuga in loca. — II, 6, 12. ,homines a meridie et sole veniendes' h. e. a sole meridiano.' — II, 8, 8. ,luxus et otia.' Tac. an. I, 16. IV, 67. — III, 10, 22. ,per intactas vias et nives.' IV, 12, 4. ,rupes et nives' h. e. rupes nivosae. Tac. an. XII. 13. ,nives et montes' — III, 18, 4. ,in arma et expugnationem urbis.' Fortasse huc cadit ,silvae et paludes' pro silvis palustribus III, 10, 15. Tac. Agr. 31.

Porro dicendum est de nonnullis locutionibus, quae pleonasmi speciem prae se ferunt: ,redisse rursus' I, 3, 9. ,rediit rursus' I, 11, 14. cfr. Tac. an. XV. 50. ,rediit rursum'. — IV, 10, 1. ,rursus integrata est.' — II, 2, 7. ,insuper augente' I, 18, 6. ,addito insuper.' cfr. Tac. Agr. 14. ,addita insuper'. h. I, 50. ,novus insuper' an. VI, 4. ,insuper augerent.' Praeterea Florus exhibet: I, 18, 1. ,una veluti ruina pariter involvit.' II, 17, 2. ,simul pariter'. II, 2, 6. ,statimque ac sine mora.' II, 8, 12. ,statim et e vestigio'.

Transeo ad anaphorae figuram, quam Tacitus ut maiorem gravitatem orationi adderet, crebrius quam ceteri historici usurpavit. cfr. Draeg. p. 100. Exempla Floriana haec fere sunt: ,ut coeperit utque adoleverit, ut pervenerit, ut consenuerit' praef. §. 4. IV, 2, 51. — ,ille rudis, ille pastorius populus.' II, 2, 4. — ,cum temptassent, cum praebuissent' II, 11, 6. — ,ita subegit, ita diruit' I, 16, 8. — ,vix suffecere tabulae, vix scribarum manus II, 6, 25. — ,iam excusseramus, iam redierat II, 6, 42. — ,gravis paci, gravis rei publicae' IV, 6, 1. Tac. an. I, 10. ,Livia gravis in rem publicam mater, gravis domui Caesarum voverca'. — ,digna lauro, digna curru' IV, 12, 53. — ,fusae Rutili copiae, fusae Caepionis'. III, 18, 12. — ,capta Servili castra, capta Luculli.' III, 19, 11.

Chiasmi denique figura apud Tacitum et Florum haud ita frequens est; multis locis, cum in promptu esset, chiasmus displicuit. (cfr. Fl. I, 13, 4. III, 6, 9. 18, 13. IV, 2, 43.) Exempla notabiliora sunt: III, 5, 11. ,uno apud Chaeroniam, apud Orchomenon altero bello dissipavit'. III, 18, 6. ,Pompedius

Marsos, Latinos Afrienus, Umbros Plotius, Egnatius Etruscos, Samnium Lucaniamque Telesinus.' II, 2, 16. ,Olbiae hic, ibi Aleriae urbis excidio'. IV, 2, 19. ,pulsus Etruria Libo, Umbria Thermus, Domitius Corfinio'.

Haec habui de Floro elocutionis Taciteae imitatore, quae dicerem. Atque ut ex iis, quae attuli, exemplis summam cogam, satis apparere puto elocutionis Taciteae et Florianae similitudinem non solum ad communem Livii usum referendam esse, ut Wiedemanno placuit, (cfr. p. 6.) sed etiam Taciti libros Floro notos fuisse eique dignos visos esse, qui identidem perlegerentur. Quae res eo maioris momenti est, cum Florus aliam atque Tacitus materiam tractaverit, neque fontium ratione commotus sit, ut ad Taciti libros legendos accederet. Itaque ii parum recte videntur iudicare, qui Tacitum nulla fere apud aequales auctoritate fuisse, immo iis ingenii sui acerbitate offensionem praebuisse coniciant. (cfr. Haasii praef. ad Tac. p. LV.) Quod vero ad Tacitum ipsum pertinet, imitatorum scripta eo pluris aestimanda sunt, quo plus ex iis ad artem criticam faciendam repeti potest. Qualem autem huius rei fructum Flori epitome, quae dicitur, ad Taciti verba emendanda praebeat, alio tempore videbimus.